















Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.66

VII

P. LABBE

Quinquag. Elogia

R. P.

PETRI L'ABBE'

SOC. JESV,

QVINQVAGINTA VIRORVM ILLVSTRIVM ELOGIA,

Hactenus nunquam edita.

Hæc si placent, brevi sequentur plura: si minus placent, erunt sola.

Accedunt denuò in hac Editione sacra Elogia Dei, & Deiparæ Virginis Mariæ, quorum Exemplaria desiderabantur.





LVGDVNI,

Sumptibus CLAUDII BOURGEAT Bibliopolæ, sub signo Mercurij Galli.

M. DC. LXXV.

CUM PERMISSV, ET APPROBATIONE.





REVERENDISSIMO PATRI,
PATRI IOANNI PEGON
MAIORIS CARTVSIÆ PRIORI,
ET TOTIVS ORDINIS CARTVSIENSIS MERITISSIMO GENERALI.

Elogium Ordinis.



ROHIBERE potes laudes tuas,
GENERALIS MERITISSIME,
Prohibere non potes alienas;
Laudo venerabilem Ordinẽ Cartusiensiũ
Brunonis adoptivus filius & Ignatij socius:
Utrumque nomen placet tibi, & tu illi.
Sed qualem te appellem, Ordo Sanctissime!
An stellarum cœlestium Ordinem?
Vidit Hugo Episcopus septem stellas ad montem ire:
Ipse quasi Pastor stellarum, ostendit illis locum & dedit;
Et nunc Cartusia stellarum Ordo appellari potest.
At quales adhuc vos dicam, Brunonis filij?
An terrestres Angelos, an cœlestes Viros?
Et homines estis, & Angeli;
Et ne sarcina corporis impediat,

Ordinis Cartusiensis Elogium.

Mutatis quotidie carnem in spiritum ;
Et quæ mole sua gravis erat, virtute fit levis.
Non satis dixi : Vos pertæsi mundi, & Candidati cœli,
Vos inchoatis æternitatem intra tempus ,
Vos prægustatis alteram vitam dum vivitis istam,
Vos fallitis mortem jam mortui , & adhuc vivi,
Vos agitis quotidie quod estis semper acturi.
Apertiùs loqui placet.
Iejunium, silentium, psalterium sunt vita vestra ;
Vos delicias carnis quarto voto excluditis:
Inde illud odium corporis vestri;
Odistis carnes alienas, & odistis vestras ;
Scilicet vivitis optima parte vestri, non infima,
Corrigit infimam austeritas, & supremam facit, aut mediam.
At quale illud silentium, & quàm altum!
Nemo inter vos loquitur, nisi sibi;
Nemo audit alterum , sed se ipsum ,
Nemo repetit aliena verba quæ nemo dicit:
Silentium cum hominibus est, & cum Deo colloquium:
Quale colloquium , echo est Dei homo , & Deus est echo hominis.
Nec vobis tristibus esse licet qui semper psallitis;
Concentus hominum est, & concentus cœlorum:
Audiunt hunc concentum beatæ mentes , & vobiscum canunt;
Amara esse non potest hæc vita , quæ semper est musica.
Gratulor vobis hanc vitam , Brunonis filij,
Vos olim felices futuri , penè jam estis.
Cartusia vestra penè supra orbem posita ,
Aut cœlum est , aut cœli suburbium ;
Et vos cœli municipes estis, & penè jam cives.

Ordinis Cartusiensis Elogium.

Fefelli te, GENERALIS MERITISSIME;
Dixi laudes tuas dum illas non dixi;
Laudavi Parentem in Filiis, & Filios in Parente;
Vivitis omnes eamdem vitam;
Præsides magno Ordini verbo & exemplo;
Id faciunt juvenes quod fieri vident à te sene.
Octoginta anni & plures sunt cùm vis hanc vitam;
Precor adhuc tibi longiores annos,
Et post omne tempus precor æternos.

Reverendissimæ Paternitatis tuæ

Humillimus Servus
PETRVS L'ABBE'.
Societatis IESV.

NTEREA quinquaginta nobiles Advenæ invisere volunt Cartusiam tuam; præmitto elogium Magni Dionysij Cartusiensis, ut magnos Hospites introducat ad Te: Illustres Viri sunt eruditione & sanctitate; & Tu amas utrumque decus, & illi eas dotes amabunt in Te. Excipe illos ea humanitate quâ soles Hospites: Non satis dixi; Excipe illos ut hodie Hospites, olim futuros familiares.



DIONYSIJ CARTVSIENSIS ELOGIVM.

Circa an. 1450.

DIONYSIJ Cartusiensis elogium dictavit
Eugenius Papa cùm dixit:
Lætetur Ecclesia Mater talem sibi filium esse;
Nec potuit dicere aliquid majus, nec debuit minus?
Non impar antiquis Ecclesiæ Doctoribus,
Superasset multos si cum illis vixisset;
Æquasset alios, paucis minor.
Ante Cartusiam sciendi avidus, studebat ad fulgorẽ lunæ,
Et absente die luna ei pro sole erat.
Nec imminuit eum ardorem sciendi solitudo, & auxit:
Novem horas quotidie Choro, novem studiis, cæteras tribuebat sibi.
Mirantibus sociis respondebat caput sibi ferreum esse, & stomachum æneum.
Nemo plures libros legit, nemo plures scivit;
Nullum Authorem bis legit, quamvis difficilem,
Singulos una lectione devoravit.
Plura tamen de suo scivit quàm de alieno;
Multa apud Magistrum sententiarum invênit, plura addidit;
Creditus est multa scripsisse, dictante Deo?
Et sæpe raptus ad Deũ, audivit arcana, quæ scripsit.
Plenus acquisitâ doctrinâ, & infusâ,
Implevit Cartusiam alienis libris & suis:
Inde illi Doctores Guigo, Basilius, Bernardus, Stephanus,
Inde alij tanto numero, ut numerari non possint, nisi ut stellæ,
Simul omnes, non singulæ.
Latêre semper non debuit vir publico natus,

Eductum

Dionysij Cartusiensis Elogium.

Eductum è claustro Nicolaus de Cusa
Adhibuit socium legationis, & Magistrum Legati.
Redditus claustro, totâ Cartusiâ tegi non potuit,
Consulebatur undique, & quamvis impeditæ linguæ,
Respondebat oraculis magis quàm verbis.
Evocatus tandem ad Deum plenus Deo,
Salutatis fratribus, & salutantibus,
Quò ire consueverat, eò ire se dixit.

QVINQVAGINTA



QVINQVAGINTA ILLVSTRIVM VIRORVM ELOGIA.

SANCTI DIONYSIJ AREOPAGITÆ ELOGIUM PRIMUM.


HIC Cœlestem Hierarchiam descripsit, quasi vidisset; Floruit an. C. 71.
Divina idiomata, quasi numerasset;
Mysticam Theologiam, quasi ab Angelis didicisset;
Solis & siderum cursum, quasi cum astris cucurrisset.
In eclipsi illa solemni Solis & Christi,
Aut pati naturam dixit, aut Deum naturæ:
Nondum Fidelis credidit Deo sine fide,
Et Solem vidit dum careret luce.
Apostoli Pauli Discipulus ea à Paulo didicit
Quæ Paulus in cœlo didicerat, & illa dixit;
Athenarum Episcopus Athenis doctior,
Et Areopago justior fuit.
Missus in Galliam invenit Athenas Parisiis, & induxit;
Instituit eâ in vrbe Hierarchiam qualem descripserat.
Invidêre hominem Galliæ critici aliqu';
Ipse & Gallus esse voluit, & Galliarum patronus.
Quàm charus Regibus fuerit, ex eo collige.

Favet Regibus vivis, & favet mortuis;
Hodiéque sepulchra Regum stant apud Dionysium;
Et sacer thesaurus ibi servatur vbi est Dionysius.
Denique imminutus capite, gestavit illud manibus,
Ambulavit mortuus, & vixit post vitam
Superstes sibi & suæ Galliæ:
Et nunc quoque viveret nisi mori maluisset.

SANCTI POLYCARPI

ELOGIVM.

Floruit anno Dom. 70.

HIc epistolam vnam scripsit ad Philippenses;
Creditus est dictasse illam Spiritus, & Polycarpus scripsisse.
Legebatur in Ecclesiis Evangelij instar,
Et penè Evangelista erat qui scripserat.
Interrogatus à Marcione Hæresiarcha, an eum agnosceret?
Agnosco te, inquit, dæmonis primogenitum, aut secundum.
Damnatus ad mortem ivit obviam lictoribus.
Iussus maledicere Christo ne periret,
Cur, inquit, ei maledicam, qui semper mihi dixit benè,
Ergo damnatus ad flammas cremari non potuit,
Reveritus Hominem ignis ambivit, morientem non læsit,
Et flammæ arcem triumphalem,
Et victori apotheosim struxêre.
Denique percussus gladio mortem admisit,
Sed qualem voluit.

SANCTI IGNATIJ MARTYRIS

ELOGIVM.

HVjus hominis vita ignis, & lingua flamma fuit.
Ex una ejus epistola Hieronymus hæc verba transcripsit
Omnibus elogiis meliora. Vti-

Vtinam fruar bestiis quæ me expectant ad necem;
Quòd si venire noluerint, ego urgebo ut veniant:
Ego vim faciam, ut macter, & deuorer:
Ignis, crux, belluæ, leones, dæmones,
Provoco vos tormenta omnia, nulla timeo.
Ignoscite filij, scio quid expediat,
Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.
Qualis hæc lingua, cujus verba sunt ignes,
Et sententiæ totidem flammæ.
Inflammabant hæc verba Antiochiæ cives,
Et Romæ coronabant Martyres.

JVSTINI MARTYRIS
ELOGIVM.

SCripsit dialogum cum Triphone Iudæo, Circa
Et persuaserat homini erudito Christum esse hominẽ Deum; an. 150.
Sed non persuasit superbo.
Scripta ad Gentiles parænesis erudita,
Convertere urbem poterat, si sola ratio fidem persuaderet.
Obtulit illustrem apologiam Antonino Pio,
Et fecerat Christianum, nisi Deus esse voluisset.
Nobilis omnino Scriptor Iustinus
Probavit ratione quæ scripsit,
Et sanguine obsignavit.

ATHENAGORÆ
ELOGIVM.

LEgatus ab Ecclesiis Orientis ad Marcum Antoninum Circa
& L. Commodum an. 155.
Disertissimâ apologiâ probavit Religionẽ servire Imperio, non nocere.
Queritur deinde vexari Christianos non edicto Impera-

 torum,

torum, sed silentio.
Rogat denique ut clementes edictis suis,
Ne silentio sint crudeles.
Placuit Imperatoribus Oratoris eloquentia;
Libertas displicuit.

MELITONIS

ELOGIUM.

Circa an. 176.

HIC Sardensis Episcopus
Obtulit pro Christianis Apologeticum;
Ex quo Eusebius exscripsit hæc pauca.
Vexamur, Imperator, si te jubente, pati volumus;
Si nesciente, excusamus quod patimur.
Vnum rogamus, ut examines culpam:
Si aliqua est, rogamus pœnam;
Si nulla culpa est, nulla sit pœna.
Precamur denique ut pio Imperatori
Pietas Christiana non displiceat.
Displicuisset Oratoris audacia,
Nisi fuisset mellea.

S. IRENÆI

ELOGIUM.

Circa an. 1[illegible]

POlycarpi Discipulus, id fuit Galliæ, quod ille Asiæ;
Repræsentavit Ecclesiæ doctrinam primi sæculi,
Et secundam ætatem Ecclesiæ fecit primam.
Hæreticorum malleus & verbis & libris,
Extinxit hæreses jam tum ortas,
Et penè oppressit orituras:
Ignoravit diu Gallia hæreseum monstra,
Quòd ignoraverit Irenæus fecit.
Legatus Romam à Martyribus Martyr futurus;
Redux Lugdunum cum ovibus mori voluit,
Bonus Pastor ovilis Lugdunensis

Totam penè Vrbem Martyrem fecit.
Hodiéque pars Vrbis, & penè Vrbs tota
Et Christiana est & Irenæa.

CLEMENTIS ALEXANDRINI

ELOGIVM.

Hic patriâ Atheniensis, Alexandrinus studio fuit. Circa an. 194.
Successit Pantæno Magistro, & Magistrum æquavit, & vicit.
Origenis Magister Discipulum correxerat, si doceri voluisset.
Magni ingenij monumenta sunt Clementis stromata,
Nascentis Ecclesiæ aulæa appellari possunt;
Nihil ornatius dici potest ad pompam, nihil solidius ad doctrinam.
Exhortatio ad gentes convertere orbem poterat,
Si audire voluisset.
Docet tres intra Deum personas esse, non tres naturas:
Docet Divinitatem Deum esse, non Deam:
Docet Deum unicum esse, nec tamen solum,
Nec Trinitatem nocere solitudini,
Nec solitudinem Trinitati.

ORIGENIS

ELOGIVM.

Hic ab ipsa sui origine magnus fuit,
Patrem habuit Martyrē, & penè ipse Martyr fuit;
Sæpè ipse vinculis se obtulit, ut Pater liber esset.
Recusanti libertatem persuasit fortiter mori,
Et dum socius esse mortis non potuit, hortator fuit.
Audi qualis erga filium pater fuerit:
Osculabatur pectus filij, quasi sapientiæ templum,
Et Filium aiebat plus habere Dei quàm Patris;

Nec filij tantùm Pater, sed Magister fuit:
Discebat tamen à filio quæ docebat;
Uterque Magister, uterque Discipulus, uterque doctus.
Orbatus Patre, Patre tamen non caruit.
Ambiebant multi Origenem Filium, vel alumnum.
Gentilis opulentus supplevit Patrem,
Et didicit ab Origene credenda, non credidit.
Annos septemdecim natus
Aperuit Scholam Alexandriæ, & orbem discipulum habuit.
Profitebatur omnes scientias, & Christianis emendabat profanas;
Musæ apud illum pudioæ, & Apollo Christianus erat.
Ex quatuor versionibus Scripturæ tetrapla,
Ex octo octupla composuit.
Nullus Author ignotus Origeni,
Nulli Origenes ignotus fuit:
Sex millia librorum composuit,
Nemo tot legit.
Dictabat decem scriptoribus res diversas,
Nec confundebant se materiæ, ille distinguebat.
Nemo hoc homine doctior fuit;
Nemo melius dixit cùm ille benè:
Nemo pejus erravit, cùm ille malè.
Denique data optione amittendæ fidei aut pudoris,
Imprudens ejuravit fidem, ne amitteret pudorem.
Servare utrumque bonum potuit, utrumque amisit.

MINVTIJ FELICIS
ELOGIVM.

Circa an. 206.

EX celebri Oratore causarum, Orator Christianus,
Consecravit eloquentiam, non mutavit:

Laudavit

Laudavit Christianum militem homini Ethnico,
Et persuasit quod laudavit.
Ex multis hæc pauca accipe.
Quàm illustre spectaculum, & Deo dignum,
Christianus miles cum morte congrediens.
Quàm gloriosum provocare mortem, non timere,
Ridere supplicia, non vitare,
Retinere libertatem inter vincula,
Terrere lictores, non terreri;
Insultare Iudici, & vincere Tyrannos, non vinci.
Facit hoc Christianus miles, non facit Ethnicus.
Vicit hæc eloquentia Cæcilianum disputantem,
Et Magister Cypriani, Discipulus fuit Minuttij.

TERTVLLIANI
ELOGIVM.

HVnc cùm Cyprianus à Lectore peteret; Circa an 230.
Da Magistrum, aiebat, & erat Magister.
Hic duarum ætatum vir:
Sub finem secundi sæculi sapuit,
Sub initia tertij desipuit.
Audi sapientiam hominis, & doctrinam.
Hic omnes Philosophorum sectas scivit.
Hic omnes instituere potuit;
Hic omnes destruxit cùm voluit;
Hic omnes historias legit;
Hic omnes scribere potuit.
Audi quàm acri ingenio fuerit.
Nihil impugnandum suscepit quod non penetrarit acumine;
Nihil penetravit quod non eliserit verborum pondere.
Energiam orationis quis explicet?
Audax dictiones novas excudit, cùm satis fortes non reperit.

Quot verba hominis, tot fulmina,
Quot ſententiæ, tot victoriæ.
Conſenſum auditoris non tam petit, quàm rapit.
Sciunt hoc Apelles, Praxeæ, Marciones;
Sciunt hoc Hermogenes, Iudæi, Gnoſtici,
Eorum blaſphemias librorum voluminibus, quaſi fulguribus
Redegit in flammas & favillas;
Neq; aliud ex illis ſupereſt niſi carbones & cineres:
Et tamen hic gravis Tertullianus
Duas Montani meretrices Prophetiſſas eſſe,
Et Spiritum ſanctum earum ſponſum aſſeruit.
Quale hoc delirium hominis!
Ante hunc caſum Tertullianus ter magnus,
Poſt hunc lapſum ter fatuus fuit.

SANCTI CYPRIANI

ELOGIUM.

Circa an. 250. HVjus Authoris opera clariora ſunt radiis ſolis, ait Hieronymus.
Qualis claritas quæ vincit radios ſolis?
Victores facit Martyres, dum hortatur ad pugnam;
Inſpirat animos & coronat, dum laudat:
Pugnavit ipſe Martyr, & vicit,
Et quod eloquenter ſuaſit hoc præſtitit.
Erravit tamen aliquando vir magnus:
Baptiſatos ab Hæreticis baptiſari iterum voluit;
Nec tamen Hæreticus fuit dum erravit.
Definita adhuc non erat Baptiſmi unitas:
Statim ut Roma definiit Cyprianus tacuit.

ARNOBII

ARNOBIJ
ELOGIVM.

HIc afer ingenio & ſtylo Circa an. 285.
Calumnias gentium adverſus fidem non tam refutat quàm mactat.
Audi ex ipſo Arnobio ſtylum Arnobij.
Ante fidem, inquit, venerabar ſimulacra ex fornacibus eruta;
Adorabam deos malleo fabricatos:
Si quando conſpexeram lubricatum lapidem,
Si olei vnguine delibutum & perunctum,
Iunonem, aut Palladem reverebar, aut Iovem;
Alloquebar truncum nihil ſentientem;
Offerebam preces ſurdis auribus,
Timebam quos amare non poteram.
Denique qualis eram cum hæc monſtra colerem,
Monſtrum eram.

LACTANTIJ
ELOGIVM.

HIc Arnobij Diſcipulus, eruditionem ab Arnobio, Circa an. 290.
Eloquentiam à Tullio didicit:
Objiciebatur Authoribus Chriſtianis verborum aſperitas,
Et barbaries morum.
Providit Deus ſuperiori ſæculo Clementes, Origenes;
Hoc ſæculo Nazianzenos, Lactantios,
Sequentibus, Ambroſios, Auguſtinos, Hieronymos.
Scripſit Lactantius Inſtitutionum divinarum libros ſeptem.
De ira Dei, & opificio mundi;
Ubique lacteus, & ubique Lactantius.

DIONYSIJ ALEXANDRINI

ELOGIVM.

Circa an. 260. HIc Origenis Magister fuit dum sapuit,
Adversarius dum desipuit.
Erravit tamen aliquando vir doctus,
Baptismum ab Hæreticis collatum iterandũ censuit;
Mutavit sententiam dum audivit Romam.
Alexandrinam Cathedram post Origenem tenuit,
Non minor Origene doctrina, major fuit sapientia.

METHODIJ

ELOGIVM.

Circa an. 285. HVjus Authoris vita & scripta
Adeo methodica fuere, ut inde Methodius appellari possit.
Opposuit illum Deus Porphyrio & Origeni;
Refutavit in utroque quod emendare non potuit.
Difficilè meliores fiunt qui corrigi nolunt.
Emendavit errores, dum errantes non potuit.
Perierunt magni Authoris monimenta penè omnia:
Quàm pretiosa essent
Probant quæ supersunt fragmenta.

MATERNI FIRMICI

ELOGIVM.

Circa an. 340. HIc ad filios Constantini epistolam scripsit
Ex qua hæc accipe,
Eliminanda est, Imperatores, ex orbe idololatria;
Et ne renascatur hydra, amputanda sunt capita.

G...io

Gloriosissimus Pater vester inchoavit,
Vos absolvite quod superest:
Vobis Deus quod optastis concessit,
Vos Deo quod optat reddite.
Debetur hic honor filiis Constantini;
Post homines victos, pro Deo vincite.

EPIPHANII

ELOGIVM.

SCripsit de hæresibus ad sua tempora. Circa an. 37▾
Refutat præteritas, & expugnat futuras.
Scripsit de ponderibus & mensuris:
Scripsit vitas Prophetarum, & ponderat omnia.
Scripsit Anchoratum, seu librum de fide;
Et ne fides fluctuaret, anchora retinuit.

SANCTI EPHREM

ELOGIVM.

HIc multa scripsit, atque aliqua adeo pia, Circa
Ut post Scripturam sacram in Ecclesia legerentur; an. 365.
Et censebantur penè esse Scriptura.
Monet tamen Hieronymus aliqua pia esse magis quàm docta;
Scilicet indocta pietas esse potest,
At doctrina debet esse erudita.

DIDYMI CÆCI

ELOGIVM.

HIc à prima ætate cæcus Circa
Omnes scientias didicit, omnes docuit; an. 365.
Nullos legit libros, omnes scivit:

Compen

Compensante natura defectum oculorum,
Et supplente defectum sensuum.
Erravit tamen Cæcus dum Origenem defendit,
Emendaturus si legisset.
Credulæ sunt aures, minus fallaces sunt ouli;
Error fuit aurium quòd credidit,
Non fuisset error si vidisset.

CYRILLI HIEROSOLYMITANI

ELOGIVM.

An. 365. HIc Catecheses scripsit tam eruditas,
Ut totum orbem erudire possent.
Describit Crucem medio in aëre publicè visam;
Ex ea probat contra Arrianos
Christum esse Deum, qui supra naturam est,
Nec posse esse minorem Patre, si Deus est.

OPTATI MILEVITANI

ELOGIVM.

An. 365. HIc septem libris contra Donatistas
Probat eam solam Ecclesiam esse veram, quæ non est nova;
Eam non esse novam quæ communicat cum Romana.
Enumeratis deinde annis à Petro ad Siricium,
Vos verò, inquit, antiquitatem vestram ostendite;
Qualis hæc fides, quæ sibi coæva est:
Non longè distat ab infantia, quæ meminit
Cunas suas & vidit.

THEODORETI
ELOGIVM.

THeodoretus magnum in Ecclesia, & diu problema fuit; an.410.
Dionysij Alexandrini non tã adversarius quàm æmulus,
Inimicus dum non agnovit, postquã agnovit amicus fuit.
Ephesinæ Synodi pars aliqua.
Amicus Nestorij dum Deiparæ hostis non fuit,
Dum agnovit hostem, amicus esse desiit.
Damnatus in Synodo unâ, absolutus in alterâ:
Ex tribus famosis Capitulis, unum fuit.
Ejus imago delata est cum triumpho à Nestorianis:
Dixit anathema Nestorio, & triumphum tunc meruit.
Laudavit ejus labores pro fide Leo Magnus.
Quòd Martyr non fuerit Nestorius, in causa fuit.

BASILIJ MAGNI
ELOGIVM.

BAsilio doctrina nomen Magni, an.370.
Virtus nomen Sancti promeruit:
In ejus vita nihil est quod accusari possit;
In doctrina nihil quod possit argui.
Qualis eruditio hominis fuerit, ex eo collige:
Athenis cùm studeret, jejunas appellavit,
In quibus nihil invenit quod disceret.
Plura cum Nazianzeno didicit, Magistris arboribus;
Vterque amans solitudinis, Athenas facit ex sylvis.
Nemo sacram Scripturam intellexit veriùs,
Nemo explicavit uberiùs.
Episcopus Cæsareæ nihil docuit quod exemplo non probarit.

Ubi

Ubi hæc non fuerunt satis, miracula addidit;
Iis Valentem Imperatorem terruit;
Et convertisset ad fidem, nisi fœmina pervertisset.
Clariora sunt ejus opera radiis solis;
Tanti ea fecit Ambrosius, ut aliqua ex iis transcipserit,
Plura mutuati sunt Authores Religionum.
Omnis ferè Religiosa doctrina
Magni Basilij est disciplina.

GREGORIJ NAZIANZENI

ELOGIVM.

an. 370. HIc ab excellentia doctrinæ Theologus appellatus,
Politiores literas Athenis,
Sacras in sylvis cum Basilio didicit, Magistro silentio.
Zosimorum Ecclesiam, deinde Nazianzenam,
Postremò Constantinopolitanam rexit,
Triepiscopus per calumniam ab aliquibus dictus
Oppressit calumniā dum tres Episcopatus deservit.
Scripsit multa prosa & metro:
Nemo illi orationis majestate,
Nemo vitæ probitate prælatus est.
Quod paucis contigisse legimus.
Bonus Orator, nec malus Poëta fuit.

GREGORIJ NYSSENI

ELOGIVM.

an. 340. HIc erat Episcopus conjugatus:
Theosebem uxorem Virginem invenit, & reliquit;
Ex marito Episcopus, uxor Episcopa fuit.
Quàm eleganter eruditus fuerit, ex eo collige.
Nazianzenus Episcopo flores objecit,
At hoc elogium est, non opprobrium;
Et Nazianzeno idem objicere potuit.

Ejectus

Ejectus à Sede suâ, lustrandis alienis Sedibus adhibitus
fuit;
Et nullius ovilis pastor omnium inspector fuit.
Scripsit vitam Mosis, & penè alter Moses moribus fuit.

AMPHILOCHIJ
ELOGIVM.

Qualis hic fuerit, ex Hieronymo disce. an. 380.
Hic, inquit, Basilio, & Nazianzeno non impar fuit:
Tales sunt ejus librij, ut nescias quid sit optimum;
Adeo omnia optima sunt.
Eruditio sæculi magna,
Scripturæ maxima fuit.
Extat sub ejus nomine Basilij vita;
At hic liber quibusdam dubius est: illud certum,
Amphilochij vita, Basilij historia est.

RVFINI
ELOGIVM.

Hic magnus vir erat, nisi Hieronymo major esse voluisset;
Amicissimus primùm, deinde inimicissimus fuit.
Impetivit amicum duabus satyris;
Pluribus ipse impetitus fuit.
Causa querelarum Melania fuit:
Illustris fœmina, nisi docta supra sexum esse voluisset.
Eam Rufinus ut doctam efficeret,
Docuit errores Origenis;
Dedocere Hieronymus voluit, & Rufino displicuit.
Deplorat Baronius casum Rufini;
Et debere illi aliquid fatetur Historiam Ecclesiasticam,
Sed non Ecclesiam.

Scripsit

Scripsit apologiam pro defensione Origenis;
Sed illa Rufinum accusat, nec absolvit Origeuem.

ATHANASIJ ELOGIVM.

an. 340. Hic adhuc infans Episcopum egit;
Sacramenta quædam aut ritè administravit, aut piè.
Sacerdos magni Concilij, Nicæni pars magna fuit:
Tam infensus Ario, quàm Arius Christo.
Christum Deum esse probavit, nec tantùm similem Deo.
Pugnavit pro una syllaba, sed divina;
Et vitam maluit perdere, quàm unam syllabam.
Nemo sæpiùs exul, nemo sæpiùs redux;
Nemo sæpiùs reus, & semper innocens fuit.
Ejectum ab Oriente excepit Occidens:
Episcopus unius Sedis ubique Pastor agnitus est.
Sæpè illi cysterna domus fuit in qua viveret;
Et sæpè sepulchrum in quo lateret.
Scripsit multa eruditè,
Plura gessit fortiter;
Hodiéque symbolum Athanasij
Est symbolum orbis.

CYRILLI ALEXANDRINI ELOGIVM.

an. 410. Vir planè magnus, & intra sæculum suum nulli secundus,
Hæreticorum hostis acerrimus,
Nestorij, Eutichetis & Dioscori malleus fuit.
Coegit sæpè Ecclesiasticas orthodoxas Synodos;
Et solus ipse sæpè Synodi instar fuit.
Designavit illi sæpe Roma vices suas,

Et

Et ſemper ipſe Orienti repræſentavit Occidentem,
Præfuit magnæ Synodo Epheſinæ,
Et Maternitatis divinæ magnus aſſertor fuit.
Pulſus in exilium ab hoſtibus invidis,
Ab ipſis revocatus eſt vel invitis.
Defendit Sedem Apoſtolicam ab ea defenſus;
Denique poſt tot pugnas & victorias
Martyr fidei & Mariæ matris,
Et Maria mater Cyrilli fuit.

AMBROSIJ

ELOGIVM.

INfantis ori & linguæ mel infuderunt apes, 374.
Inde Homini ſermo melleus, & vita mellea fuit.
Quæſitus ad infulas, morbum finxit, ut illas fugeret
Fictionem declaravit infans, & Epiſcopum dixit;
Epiſcopus talē ſe præbuit, qualē voluit qui elegit.
Imperatorem ad pedes proſtratum correxit ut Judex,
Fatenti crimen pepercit ut Pater.
Imperatricem terrēre volentem ab incœpto deterruit;
Auguſtinum Auditorem ad fidem convertit;
Qualis Doctor, qui talem Diſcipulum habuit!

SANCTI HIERONYMI

ELOGIVM.

HIc orbem totum luſtravit, ut totum ſciret;
Totum ſcivit, ut totum doceret:
Dum orbem luſtrat, doctiſſimo cuique Diſcipulum ſe dedit;
Didicit Magiſtros, & brevi doctior fuit:
Omnes linguas ſcivit, ut omnibus linguis reſponderet:
Omnes libros legit, ut omnium Cenſor eſſet.
Adhibitus à Damaſo Papa Pontificiis epiſtolis,

Toti orbi respondit ore alieno;
Et poterat respondere suo.
Pertæsus vitam publicam, quæ sivit occultam:
Latuit apud Bethleem ubi Christus latuerat.
Ibant ad illum difficiles toto ex orbe quæstiones,
Ille publicum omnibus oraculum erat.
Denique ibi vitam clausit ubi suam Christus ordiri voluit.
Non benè aliqui enumerant ejus scripta:
Legit omnium opera, & fecit sua;
Addidit ipse libros proprios,
Quos nemo etiam doctus ausus est appellare suos.

SANCTI AVGVSTINI

ELOGIVM.

INgenium Augustini nemo totum novit;
an. 410. Ingenij sui limites Augustinus ipse nescivit.
Monstrum ingenij fuit aliis, & monstrum sibi:
Exhausit se Africa dum tale portentum tulit.
Adolescens non tam discere quàm meminisse videbatur.
Dixisses non acquirere scientias, sed innatas habuisse.
Didicit Aristotelem sine Magistro;
Vix eum Aristoteles sine Doctore didicisset.
Exhaustis omnibus scientiis, adhuc sciendi avidus
Didicit errores Manichæorum, ut haberet quod disceret.
Laudavit eos errores dum nescivit,
Refutavit cùm didicit;
Et nondum fidei Discipulus, jam pugnavit pro fide.
Superatâ naturâ diù luctatus est cum gratia:
Expertus est se ab ea non cogi, dum diù restitit.
Nec violentus consensus fuit, quem negavit cùm voluit.

Agnovit

Agnovit tamen ſufficientem fuiſſe gratiam, qua vinci potuit.
Non accuſaret moras ſuas, niſi properare potuiſſet;
Nec properare poterat, niſi adjuvaret gratia ſufficiens,
Et nondum vincens.
Vicit tandem gratia efficax vinci volentem:
Sic delectavit, ut ſuaderet; ſic ſuaſit, ut non cogeret.
Recuſare illam poterat, etiam dum admiſit;
Admiſit eam voluntas libera, ſed non ſola:
Prævênit gratia nolentem, & adjuvit volentem.
Incœpit Deus ſine Auguſtino, ut vellet Auguſtinus cum Deo;
Nec meruit Auguſtinus gratiam, quæ fecit merentem:
Data eſt gratia immerenti benè de gratia merituro.
Nemo acriùs gratiæ reſtitit,
Nemo fortiùs pro gratia ſtetit.
Mirata Diſcipulum gratia, mutavit in Magiſtrum,
Docuitque artem vincendi dum Auguſtinum vicit.
Poſt eam victoriam nemo Hæreticus Auguſtino par fuit;
Pelagius, Julianus, Donatus Auguſtinum timuêre;
Pelagium Auguſtinus, & alia monſtra non timuit.
Nec tantùm errores præteritos refutavit, ſed futuros.
Damnavit Janſenium nondum à Roma damnatum;
Et puto, dum Antipodes negavit, Janſenium intellexit.
Debet Auguſtinus gratiæ, quæ de gratia didicit;
Debet Auguſtino gratia, quæ de gratia docuit;
Debet aliquid Auguſtino Roma,
Plus Romæ debet Auguſtinus.
Non eſſet Doctor gratiæ, niſi eſſet Diſcipulus Romæ.

GREGORIJ MAGNI

ELOGIVM.

GRegorius Magnus nomine, major virtute fuit.
Humilitas Magnum, majorem charitas, ſapientia maximum fecit.
Ut honores fugeret, in ſpelunca delituit;
Detexit latentem columna ignea, ſpelunca prodidit.
Invitus ad Sedem Petri evectus, Paſtor eſſe coactus eſt;
Talem eſſe oportuit, ut Chriſti Vicarius eſſet:
Nemo ſapientiùs ovile rexit;
Nulla ovis ignota Gregorio,
Nulli Gregorius ignotus fuit;
Quo zelo arceret lupos ab ovili,
Sciunt Donatiſtæ in Africa,
Sciunt Agnoitæ in Syria,
Sciunt Arriani in Hiſpania,
Sciunt Infideles in Britannia.
Miſſis in Angliam viris Apoſtolicis,
Ex Anglis Angelos fecerat, niſi fœmina fefel-
Peregrinos ad menſam ſæpè adhibuit;
liſſet.
In his aliquando Angelum, & Chriſtum.
Sapientiam Gregorij probant quæ ſcripſit,
Sanctitatem, vita quam vixit.
Nemo de moribus meliùs ſcripſit,
Nemo melioribus moribus fuit.
Inſidentem capiti columbam vidit qui dixit.
Dictavit Spiritus ſanctus quæ Gregorius ſcripſit;
Inſpiravit vitam quam vixit.

SANCTI DOMINICI
ELOGIVM.

STa Lector ad ſtellam, & roſam, & columnam: an. 1400.
Dominicus ante ortum ſtella, poſtquam adolevit Sol fuit.
Gravida mater intra vterum ſtellam ſenſit;
Dum ſtellam gerit, nonne hic uterus cœlum fuit.
Illuſtravit hæc ſtella orbem terrarum,
Et Dominicus tot ſtellis Ordinem implevit,
Vt ſtellarum Ordo appellari poſſit.
Et Roſa Eccleſiæ Dominicus fuit;
Ante Dominicum ſpinarum hortus erat, non florũ.
Inſeruit roſas Dominicus, & Roſariis orbem implevit.
Placuere roſæ Deiparæ Virgini;
Et per Roſaria Dominicus ad cœlum ivit,
Et columna Eccleſiæ Dominicus fuit.
Ne dubites, Innocentius rem definivit, dum vidit.
Vidit nutantem Eccleſiam, & Dominicum ſuccollantem:
Grande decus, Athlantem eſſe Eccleſiæ non fabuloſum, ſed verum.
Fundamentum Eccleſiæ Petrus eſt, & Columna Dominicus.
Plus aliquid diceret columna quàm petra,
Niſi petra eſſet Petrus.
Nihil deerat magno Ordini, niſi Eccleſiæ claves:
Gerunt illas Inquiſitores fidei & doctrinæ.
Dixi qualis eſſet Dominicus;
Minor eſt Domino, ſed eſt Dominicus.

ALBERTI MAGNI

ELOGIVM.

ALbertus Deiparæ Philoſophus,
Thomas Verbi Theologus fuit:
1165. Benè hic de Filio, benè ille de Matre ſcripſit.
Uter plura ſciverit ambiguum eſt;
Uterque omnia ſcivit.
In Alberto aliquid eminet, unde illi cognomen Magni;
Rudis ætate prima & ultima;
Parum debuit naturæ, multum gratiæ.
Momento eruditus, momento indoctus.
Didicit omnia ſimul, omnia ſimul dedidicit:
Abſtulit ſcientias Virgo, quæ illas dederat,
Ut ſciret Albertus alienum eſſe quod Dño redditur.
Benè vſus ſcientiis quas acceperat commodatas;
Implevit orbem octingentis libris;
Satis unus multis Bibliothecis,
Sibi ipſe non ſatis fuit.
Non facile eſt dicere quid Albertus neſciverit:
Nulla opinio, etiam falſa, fefellit Albertum.
Modum poſuit artibus curioſis ne ultra pergerent;
Oſtēdit ubi deſineret natura, unde inciperet gratia;
Petiit à Virgine, ne falli poſſet:
Addidit illa, ne falleret.
Nemo erravit ſub Alberto Magiſtro, & Thoma Diſcipulo;
Uterque erudivit orbem, uterque correxit.
Emendarunt errores antiquos & futuros;
Victi ſunt ab utroque, iterum olim vincendi.
Media ætas Alberti erudita, tota humilis fuit.
Magiſter ſacri Palatij Romam deſeruit, ne Magiſter eſſet.
Ratiſbonenſes Infulas ſponte exuit, quas invitus induerat:
Inter ſuos Provinciam vix regere voluit.
Qui Ordini regendo par erat.
Denique dum ex Cathedra dictat non tam verba quàm oracula,
Obmu

Obmutuit extemplò oraculum orbis,
Et cujus memoria ſapientiæ promptuarium erat,
Id unum tunc meminit, ſe nihil amplius meminiſſe.
Unum eſt quod obliviſci nunquam potuit, nomen MARIÆ;
Scivit illud antequam aliquid ſciret;
Scivit poſtquam omnia dedidicit:
Hæc prima vox erupit infanti, ultima ſeni.
Obiit an. ætatis 87. clarus miraculis;
Ipſe eruditus & ignarus miraculum fuit:
Nec minore prodigio amiſit ſcientias, quã accepit.

S. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI

ELOGIVM.

THomas Angelus erat antequam eſſet Doctor Angelicus, an. 1266.
Angelorum condiſcipulus, & penè Angelus fuit.
Multa ab Angelis didicit, multa Angelos docere potuit.
Aut Theologiam è cœlo deduxit ad terras,
Aut ſcivit in via quod videtur in patria.
Audivit Apoſtolus arcana verba, ſed illa tacuit:
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Myſteriorum compendium eſt Summa Thomæ:
Collegit in ea quidquid dici poteſt, aut ſciri.
Incluſit Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos;
Incluſit ſeipſum major ſeipſo, & minor.
Epitomen fecit alienæ ſapientiæ, & Summam ſuæ.
Didicit omnes, qui Thomam intelligit;
Nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit.
Ubi alij dubitant, Thomas non ambigit;
Ubi omnes deſinunt, inde Thomas incipit.
Inde progreſſus eò aſcendit quò nemo præiverat;
Sequitur præviam fidem, & illam ducit;
Sociam facit fidei Theologiam, & Magiſtram:
Oſtendit quod iſta credit;
Neque aliquid ſupereſt poſt Summam Thomæ, niſi lumen gloriæ.

De Deo sic loquitur quasi vidisset;
De Angelis sic disputat, quasi socius esset.
Ingenerat horrorem peccati, dum describit,
Amabiles reddit virtutes, dum ostendit;
Incarnatum Verbum sic explicat, quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma,
Pervênit ad Summum Summa tua;
Ire ultra non potes, nisi aliquid quæras post omnia,
Benè scripsisti de me Thoma.
Probat scripturam Hominis qui caracter est Verbi.
Silete linguæ; dum Deus laudator est;
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent aliqui Thomam Angelum Theologiæ;
Dicant Pontifices Summam tot constare oraculis quot articulis,
Plus dicit una vox, benè.
Christus est Verbũ Patris, Thomas adverbiũ Filij:
Quam ergo mercedem accipies?
Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;
Quàm benè vixerit, collige ex præmio:
Ut scias meritum virtutis; datur optio præmij.
Quid eligat nisi Deum, qui novit pretium Dei.
Non alium, respondet Thomas, nisi teipsum;
Nec potuit eligere majus, nec debuit minus:
Malè scripserat, si aliter elegisset.

S. PIJ V.

ELOGIVM.

an. 1560. FEcerunt hunc Pontificem pium omnes virtutes;
Fecit ille omnes virtutes pias.
Pius erat antequam esset PIUS:
Invênit Thiara pium, fecit ille Thiaram piam.
Nolebant hunc Pontificem etiam qui eligebant,
Pietas fecit ut eligere vellent:
Nolebat ipse eligi,
Pietas elegit nolentem.

Aspernatã

Aspernata humilem Roma, timuit ne haberet Pontificē;
Postquam habuit, timuit ne amitteret.
Audi miraculum pietatis.
Invitatus ad fidem Judæus, Credam, ait, dum Pontifex eris;
Fuit, & Judæus credidit.
Audi alterum humilitatis miraculum.
Agnoscere matrem noluit sub veste nobili;
Agnovit sub habitu vili.
Nepotem magna spirantem donavit equo, ut Roma abiret;
Donare equo noluit, ut Romam rediret.
Audi majus miraculum.
Armari ad Lepantum curavit classem bellicam;
Animavit militem, pugnavit, & vicit.
Perierat Turca, si iterum Pius pugnasset:
Dum alterā classem parat, interiit calculi doloribus.
Inter morbum augeri dolores petebat, & augeri patientiam;
Auxit dolores Deus, & patientiam coronavit
Dum auxit.

SANCTI BONAVENTURÆ

ELOGIUM.

HIc à bonis venturis nomen sortitus, 1266.
Invênit æternitatem intra tempus,
Et bona ventura possedit dum amavit.
Destinatus à matre Ordini Sancti Francisci antequam natus,
Si nomen mutes, alter Franciscus fuit:
Fundator Ordinis futurus, nisi Franciscus præcessisset;
Et penè fundavit dum ruinas restituit.
Æqualis Thomæ & annis & meritis:
Uterque Doctor; ille Angelicus, hic Seraphicus fuit.
Hic tamen optimam partem elegisse visus,

Eo ivit affectu quo alter intellectu;
Et quæ Thomas credidit, hęc Bonaventura gustavit.
Ut scias seraphicè doctum,
Uno breviloquio complexus naturam & Deum.
Ex primo principio omnia,
Ex omnibus principium primum:
Ex Deo demonstravit Deum.
Nemo de Deo breviùs, nemo clariùs scripsit.
Creditus est Seraphim cōmodasse pennas scribenti;
Et puto, dum Seraphim sex alas descripsit, illas habuit.
Interrogatus aliquando à Thoma, cui libro studeret,
Ostendit Christum, & hunc crucifixum.
Illustris Liber scriptus intus & foris!
Meditabatur hunc Librum Bonaventura;
Nec aliunde haurire potuit, quæ de Deo scripsit.
Scribentem vitam S. Francisci Thomas interpellare non ausus:
Sinamus, inquit, Sanctum de Sancto scribere.
Novum historiæ genus, dum Sanctus scribit, & scribitur;
Neuter fallere, aut falli potest, uterque Sanctus.
Vis scire sanctitatem Hominis?
In eo non peccasse Adamum scribit Alexander de Ales:
Rediisse videbatur ad innocentiæ statum,
Ita veteris Adami nihil habuit.
Profero majus testimonium, Angelicum & Divinum:
Dicitur Angelus ori Hominis Eucharistiam admovisse;
Dicitur Christus ipse per apertum latus cor Hominis subiisse.
Quale hoc Sacramenti Sacramentum!
Bonaventura gemino aditu Christum excipit, ore & latere;
Gemino gutture comedit delicias Dei;
Gemino palato gustat Deum:
Amat gemino affectu,

Alloquitur

Alloquitur gemina lingua:
Mirantur Angeli novas artes amandi,
Miratur Christus, & miracula facit.
Omisi laudare purpuram, ut parcerem rubori Hominis;
Erubuit Vir modestus dum illam gereret,
Recusaturus nisi peccare timuisset.
Admisit illam ne peccaret,
Erubuit postquam admisit:
Nunc quoque erubescit ad laudes.

JOANNIS SCOTI DOCTORIS SUBTILIS ELOGIUM.

Hic penè subtilis antequam homo fuit.
Occultavit patriam dum nascitur, ut subtiliter nasceretur.
Tres populi de ejus ortu disputant, plures de obitu:
Nullibi penè natus est, dum ubique nascitur:
Nullibi penè obiit dum ubique moritur.
Cessate lites, ibi Scoti patria est, unde illi subtilitas venit.
Subtilitatem ab ea petiit quæ subtilis esse debuit, ut Deipara esset.
Accepit ea lege, ut subtilitatẽ Conceptionis defenderet:
Inde illi subtilitas tanta, ut ipsum etiã nomen subtile sit.
Philosophiam ita docuit, quasi ejus inventor esset;
Ita Aristotelis Discipulus, ut ab eo Aristoteles doceri posset.
In Theologia æquavit Sanctum Thomam, dum superare non potuit.
Et ne unicus Princeps esset, eam in duo regna divisit.
Mysteria fidei nostrę ita scivit, ut penè nõ crederet;
Arcana Sapientiæ divinæ, quasi particeps esset.
Sed nihil subtiliùs scivit, quàm subtilitatem conceptæ Virginis.

Agitabatur Pariſiis controverſia Conceptionis;
Eam Scotus impuram nolebat,ne Deum inficeret:
Ducenta argumenta ita repetiit, quaſi Deus ſuggereret;
Ita diſſolvit,quaſi Deus ipſe reſponderet.
Produxit rationes tam ſolidas , ut in ejus verba Sorbona juraverit:
Decrevit ne quis admitteretur ad Lauream, niſi Scotiſta eſſet;
Vovit Feſtum Conceptionis, ut quotannis Virgo triumpharet.
Non arrogavit ſibi hanc victoriam Scotus , quæ miraculum erat :
Dum ad pugnam pergit, rogavit imaginem Virginis , & imago reſpondit ;
Inclinavit caput imago ſaxea , & opem promiſit.
Adhuc perſeverat inclinatio capitis,
Ne quis de antiquo miraculo dubitet , quod adhuc novum eſt.
Nec minor in homine virtus quàm doctrina fuit.
Coloniam deſtinatus , ut illic ſcientiarum Coloniam inſtitueret,
Perrexit inſalutatis Pariſiis, ut obedientia cœca eſſet.
Abivit pedes Vir triumpho dignus,
Satis oneratus Scoto,niſi Subtilis eſſet.
Redintegratâ Conceptionis pugnâ renovavit victoriam;
Vicit Diſcipulos Coloniæ , qui Pariſiis Magiſtros vicerat.
Non incruenta tamen victoria , dum poſt pugnam interiit,
Teſtis Immaculatæ Conceptionis dum vixit,
Et penè Martyr dum obiit.
Occultavit Vir humilis mortem,qui natales cælaverat;
Tam acutè interiit,ut adhuc de mortis genere dubitetur:
Scilicet ſubtiliter mori voluit, qui ſubtiliter natus erat.
Ipſe etiam mortis annus incertus eſt, ut ſit ætas tota ſubtilis.

Illud

Illud certum eſt tam multa ſcripſiſſe, ut iis legendis vix alter ſufficiat.
Pugnat voluminibus cum Thoma,
Plura ſcripturus, ſi ſcripſiſſet minus ſubtiliter.
Uterque Doctor; ille Angelicus, hic Subtilis:
Sed hic Subtilis eſſe non poſſet, niſi Angelicus eſſet.

ROBERTI BELLARMINI CARDIN.

ELOGIVM.

SCribendo Bellarmini elogio Orator unus non eſt ſatis;
Laudant illum Scriptores mortui per illum redivivi;
Examinavit omnium vitam & doctrinam;
Tulit de ſingulis judicium, aliquando ſeverum, ſemper verum:
Legi poſſunt apud illum errores omnes ſine errore,
Purgavit illos Bellarminus, & fecit, ne fallerent.
Hęc prima laus Bellarmini ſciviſſe omnes Authores;
Scire omnes debuit, qui omnium Cenſor fuit.
Nihil tamen ſcientiam Hominis probat magis quàm controverſiarum liber:
Extra controverſiam ſunt controverſiæ.
Mirantur omnia ingenia ingenium unum;
Incluſit uno volumine mille volumina;
Sufficit omnibus ſcientiis, vix illi omnes ſcientiæ ſufficiunt.
Mirantur omnes hæreſes expugnari ſe ab uno hoſte,
Et vinci uno certamine ſexdecim ſæculorum hoſtes.
Quod admirabilius eſt, placet victoria etiam victis:
Amatur Hominis modeſta cenſura,
Nemo illum damnat, etiam ab illo damnatus.
Debet Eccleſia huic operi clypeum quo ſe tegat;
Debet arma & tela quibus hæreſes vincat:
Debet illi fides, ne ſit amplius cœca:
Scilicet illuſtrat res credendas, & penè demonſtrat.
Addit Summæ Angelicæ alteram Summam,

Et

Et Theologiæ Scholasticæ alteram Scholam.
Neque eminentior est Bellarmini doctrina quàm vita;
Nihil in ea humile est nisi humilitas.
Quàm hæc quoque sublimis fuerit, vide.
Nepos Marcelli Secundi , & dignus qui esset Tertius ,
Erubuit ad oblatam purpuram plusquam ipsa purpura:
Adigendus fuit à Clemente VIII. sub culpa graui & pœna;
Et pœnam admissurus erat , si potuisset carere culpa.
Capuanas Infulas admisit ut aulam fugeret:
Dum se retineri vidit , infulas restituit.
Recusavit proventum Tituli qui Titulum recusarat;
Et vellus Ovium noluit qui Pastor non erat,
Singulis annis subtrahebat se aulæ, ut morti studeret :
Aiebat id faciendum benè quod tantùm fit semel;
Neque ibi errandum,ubi nemo bis errat.
Meditabatur in eo secessu æternitatem , & penè gustabat;
Et beatus olim futurus penè jam erat.
Extant singulorum secessuum libelli singuli :
Sapidi eorum gustui qui æterna sapiunt.
Denique obiit Vir Sanctus , qui jam penè obierat;
Nec patriam mutavit , nec penè vitam :
Eò ivit quò ire consueverat.
Inviserunt ægrotum Cardinales, & vocarunt Sanctum.
Idem dixit Pontifex privatus , & dicere poterat publicus.
Appellavit Sanctum vox publica : hæc olim homines consecrabat.

LVDOVICI

LVDOVICI MOLINÆ

ELOGIVM.

HIc est Vir ille cujus doctrina, non vita Circa an. 1660.
Publica Academiarum thesis,
Ubique agitata, hactenus invicta stetit.
Nulla pars doctrinæ contra fidem,
Non omnis tamen de fide est.
Nulla pars falsa, non omnis tamen est certa,
Nec certior est adversa doctrina.
Utramque permittit Roma, neutram damnat.
Utra potior sit, judicent docti, non ignari.
Hæc ad examen vocata, indemnis exivit:
Altera nondum ad examen venit.
Timeri initio cœpit, dum credebatur nova;
Timeri desiit, dum apparuit veterana.
Agnovit Augustinus gratiam sufficientem cum Molina.
Appellat sufficientissimam facultatem, ut à voluntate distinguat.
Agnovit ex se fertilem esse, & per nos sterilem;
Tunc tantùm expertem effectus, cùm caret assensu.
Ea in duobus æqualis, hunc vincit, non alterum:
Utrumque vincere poterat, si vinci uterque voluisset.
Quod ille voluerit, facit voluntas & gratia;
Quod hic noluerit, facit voluntas sola.
Adjuvat voluntatem gratia effectrix, non invitam trahit.
Secreta est, & secretum sciens,
Alta & profunda, minax & blanda;
Sic delectat ut vincat, sic vincit ut non cogat:
Sic illustrat ut moveat, sic movet ut non determinet.
Determinat seipsam voluntas domina sui.
Nisi esset domina sui non esset libera.
Agnoscit scientiam mediam Scriptura, & duas extremas,

Quid

Quid facturi Ceilitæ nunquam facturi ?
Quid creditura Tyrus nunquam creditura?
Quid futurum quamvis nunquam futurum ?
Quid decreturus Deus, si decreturus?
Quid futurum, si voluntas vellet, & Deus decerneret.
Antecedunt hanc scientiam voluntatis nutus, non actus,
Decernit actus Deus post prævisos nutus;
Sic non læditur libertas quæ exploratur :
Sequitur illam decretum Dei, non antecedit ;
Sic non exponit gratias suas Deus , sed dispensat ;
Sic aptat gratias libertati, & libertatem gratiis.
Explicuit hanc scientiam Molina, non invênit ;
Appellavit mediam , ut distingueret ab extremis.
Sic explicuit concordiã humani arbitrij & divini ;
Sic servat utrique fines imperij sui ;
Sic voluntatem & gratiam dominas facit, neutram ancillam.
Laudabilis Molina dum rem arcanam explicare voluit :
Tentavit hoc secretum pars adversa , non invênit.
Arcana res est humana libertas ;
Solus illam novit , qui condidit.
Resignabit olim Roma hoc sigillum , imo neque resignabit :
Arcanum debet esse sigillum ut sit liberum.

FRANCISCI SVARIS

ELOGIVM.

1570. Laudavit hunc Hominẽ Brevi Apostolico Paulus III,
Et Suaris doctrinam penè definivit veram esse , dum laudavit.
Laudarunt omnes eruditi, etiam aliqui invidi:
Nullum elogium verius est , quàm quod invidia dictat invita.
Nemo hoc homine plura legit, nemo plura scivit:
Scivit quidquid sciunt omnes eruditi;

Quæ

Quæ plerique neſciunt, hæc ille docuit.
Interpres magni Thomæ, alter ſæculi ſui Thomas fuit.
Superaſſet diſputantem eruditus Æmulus, niſi Magiſtrum inveniſſet.
Aliorum Cenſor nihil invenit in Suare quod argueret;
Multa invenit quæ diſceret.
Nec doctior fuit Suares quàm modeſtior:
Neminem verbo læſit etiam lædentem;
Scilicet accuſabat errores, non errantes.
Reveritus magnum Regem, ſed errantem
Coronavit rationibus, dum admonuit:
Penè excuſaſſet, niſi cauſa damnaſſet.
Quinque Academiarum Diſcipulus, omnium Magiſter:
Creditus eſt ab hominibus multa didiciſſe, à Deo plura.
Viſus eſt aliquando terris altior intra aërem raptus;
Iverat in cœlum animus, corpus expectabat redeuntem.
Denique moribundo hæc vox erupit:
Neſciebam tam dulce eſſe mori.
Aſpexit invitantem Deum, & cucurrit, non ivit;
Ne corpus aggravaret currentem,
Terris reliquit.
Vivit in librorum voluminibus pars ingenij,
Totus illic ſuperſtes eſt ubi nihil moritur.

SANCTI IGNATIJ
ELOGIVM.

ADhuc literarum rudis ſcripſit Exercitiorum libellũ;
Et pia doctrina totum orbem erudivit.
Altero libello de Trinitate ea dixit quæ vidit:
Vidit majorem Dei gloriam, & ubique quæſivit.
Hoc illi ſymbolum ſemper fuit: MAJOR DEI GLORIA,

Nondum statutis legibus, hæc gloria pro legibus erat.
Digessit illã Ignatius in leges publicas & privatas;
Neque aliud sunt leges Ignatij quàm Dei gloria:
Neque aliud Societas, nisi ejus gloriæ communitas.
Hæc gloria decem hominibus Europam divisit:
Hæc gloria Xaverium ultra orbem misit;
Hæc gloria Ignatij Filiis novos orbes aperuit.
Non facile est dicere quid per Ignatium hæc gloria gesserit;
Non facile est dicere quid pro ea gloria Ignatius tulerit.
Pati pro ea gloria felicitatem putabat,
Recusaturus gloriam, ut pati posset pro gloria.
Denique meruit gloriam pro qua diù meruerat:
Hoc symbolũ reliquit sociis, PATI PRO GLORIA.
Falleris nova doctrina, dum socios Ignatij accusas & damnas;
Auges Societatis gloriam, non imminuis:
Hæc Societatis gloria est, pati pro gloria.

HYMNVS ECCLESIASTICVS S. IGNATIO.

HVnc mater in præsepio
Parit futuri nescia;
Jam Jesuita nascitur,
Olim futurus assecla.
Ad Pampilonis mœnia
Gravi ruina sternitur;
Nunquam cucurrit rectiùs
Quàm dum laborat tibia.
Morbus fit illi sanitas,
Dum facta Sanctorum legit,
Fit ipse Sanctus, & facit
Seris legenda posteris.
Apparet ægroto Petrus,
Virgo saluti vendicat;

Miles

Miles futurus Filij
Priùs Mariæ militat.
In Æde ſacrâ Virginis
Appendit arma militis;
Vili lacerna clarior,
Quàm dum rubet ſub purpura.
Vt impudici temperet
Flammas, aquis immergitur,
Non ante viſus frigidis
Amor ferire ſpiculis.
In Æde ſacrâ Martyrum
Ponit rudimenta Ordinis:
Qualis putas erit domus
Naſcens ſuper cacumina.
Bisquinque Chriſti Milites
Dicunt Sacramentum Deo,
Converſioni gentium,
Et mundus eſt votis minor.
Novos Jesvs milites
Suo coronat nomine;
Sed quanta ſint olim docet
Sub hoc ferenda nomine.
Ignatius Sodalibus
Orbis labores dividit;
Et primus in laboribus
Omnes labores ſuſcipit.
Famem, catenas, verbera
Amore Chriſti pertulit;
Sed pœna major omnibus,
Non poſſe plura perpeti.
His vixit in laboribus,
Cœli ſed inter gaudia:
Nunc deſpicit quæ ſæpiùs
Suſpexit olim ſydera.
Tibi Pater ſit gloria,
Tibique Patris unice,
Tibique ſanĉte Spiritus,
In ſæculorum ſæcula.

S. FRANCISCI XAVERIJ

ELOGIVM.

LAudo prolixè Xaverium, dum Alterum Ignatium voco:
Idem utrique spiritus, ab illo datus, ab hoc acceptus;
Id Xaverius agebat Goæ, quod Ignatius Romæ.
Nondum Societas leges habebat, & Ignatius lex viva erat:
Veneratus Ignatium Xaverius, scribebat ad illum flexis genibus;
Veneratus Xaverium Ignatius præficere cogitabat sibi.
Sed audi obedientiam Hominis:
Una syllaba revocabat ab Indiis;
Una litera ad Indias miserat.
Zelo Hominis integer orbis minor erat:
Ultra Indiam Sinas, ultra Sinas novos orbes quærit;
Scilicet vas electionis Deo plenum
Optabat nunciare Deum ubicumque Deus erat.
Nec mirum, si alter Thomas, & Paulus alter vocetur;
Nec pauciores populos quàm uterque lustravit:
Et quod Paulus Occidenti, hoc Xaverius Orienti fuit.
Nec minora passus est (si gladium excipias)
Nec ille tamen gladio, sed ei gladius defuit.
Audi vota crucis & mortis:
Inter delicias Dei, SATIS clamabat & satis;
Inter cruces, amplius clamabat & amplius.
Sed audi providentiam Dei:
Dum revocatur in Occidentem, mori in Oriente contigit,
Scilicet futurus Indiarum Patronus
Mori in Oriente debuit.
Ac vide qua morte, obscura & gloriosa:
In mapali ignobilis Insulæ, sine ope, & penè sine teste.

Mortem

Mortem obiit Vir humilis qualem volebat & voverat :
Exaltavit humilem Deus , & miraculis publicum fecit ;
Injectam calcem corrupit mortuus , & corrumpi non potuit ,
Hodiéque integra caro probat integritatem virtutis.
Ne quære miraculorum numerum , vix Oriens numerare potuit
Mirata numerum Roma, pronunciavit
Vix minorem Apoſtolis.

HYMNVS ECCLESIASTICVS S. XAVERIO.

AVthore naturæ Deo
Natura mutat ordinem ,
Lux ſolis inde naſcitur
Ubi mori conſueverat.
Franciſcus Indis gentibus
Cæleſte Numen nunciat ,
Plagis Eois Occidens
Solem, diémque commodat.
Aurum , lapillos India ,
Gemmas , odores congerat ;
Æquale nil Ganges habet
Quod Occidenti deferat.
Dum dormit , Indi ſarcinam
Pendere collo ſomniat:
Somno ſolutus curſitat
Utrâque onuſtus Indiâ.
Ingens & orbe vaſtius
In orbe pectus æſtuat,
Chriſtoque mundos ſubdere
Plures duobus cogitat.
Sat eſt Deus , clamat, ſat eſt,
Mens plena cœli gaudiis ;

At non sat est, sed amplius,
Exclamat in laboribus.
Francisce pectus explica,
Totumque Numen excipe:
Adsunt quibus superfluæ
Rores refundas gratiæ.
Orantis è manu crucem
Excussit unda fluctuans;
Flevit, minásque fluctuum
Unâ repressit lacryma.
Cancer recurvis branchiis
Crucem reportat littori,
Dum sic adorat quem videt,
Rectâ tetendit semitâ.
Jam millionem gentium
Sacris fluentis merserat;
Minor capaci pectore
Et Indus, & Ganges erat.
Metas Sinarum viderat,
Et Solis incunabula;
Ultra diei limitem
Lucere Sol novus parat.
Francisce gressum comprime
Cœloque permuta Sinas,
Qui nunc negantur hospiti,
Olim patebunt Cœliti.
Tibi Pater sit gloria,
Tibique Patris Unice,
Tibique sancte Spiritus
In sæculorum sæcula.

D. FRANCISCI BORGIÆ

ELOGIUM.

HIc Societatem IESU penè fundavit,
Dum socium se dedit penè nascenti,
Adjuvit fundantem Ignatium;

Et fundare poterat, nisi Ignatius præivisset.
Dum obit exercitia Ignatij,
Admiratus spiritum libelli,
Authoritate Romana publicum fecit,
Et libello partem orbis erudiit.
Defunctæ Imperatricis dum feretrum reddit,
Non ausus jurare eam esse quæ fuit,
Juravit quæri à se Dominum qui mori non posset;
Vt inveniret, Ignatio se tradidit.
Vidit Ignatius vocatum & vocantem;
Vidit Novitium & Generalem futurum:
Admissus ab Ignatio, jam admissus à Deo,
Ad culmen virtutum saltibus ivit, non passibus.
Incumbentem capiti Tiaram cùm vidit, extimuit.
Placuit Deo timor, & honores fugit dum timuit:
Pellem corporis dimidio breviorem jejuniis fecit;
Alteram medietatem flagellis corrupit:
Nulla virtus in Homine sterilis,
Nulla gratia vacua fuit.
Oratio Hominis contemplatio erat, aut revelatio.
Denique vis scire qualis Borgia fuerit?
Æmulatus Ignatium vivum, repræsentavit mortuum.
Duplex in utroque spiritus.
In illo infusus, ab hoc acceptus,
In utroque unus.

S. FRANCISCI SALESIJ Genevensis Episcopi ELOGIVM.

DEclaravit illum Roma Beatum, non fecit:
Fecerunt Sanctum omnes virtutes, fecit ille sanctas.
Nulla virtus illi defuit, nulli ipse virtuti.

Nullus gratiæ gradus in eo infimus , omnis excellens fuit.
Aiebat in Episcopo vitium esse, non esse optimum:
Attigerat eum gradum Vir optimus , & in eo stetit.
Charitas in eo ei similis quâ Deus nos diligit.
Probant amoris eminentiam quæ de amore scripsit;
Aut dictavit illa amor divinus,aut docuit,
Aut commodauit alas scribenti.
Similis erat amor proximi, amori Dei ;
Videbat in Deo proximum,& in proximo Deum:
Æstimabat animas eo pretio quo Deus redemit.
Inde ille zelus animarum avidus:
Optabat alas columbæ ut orbem pervolaret;
Quò ire alis non potuit, libris ivit.
Nemo scit literas qui Philotheam ejus non legerit;
Nemo legit quem illa meliorem non fecerit.
Humilitas Hominis altior esse non potuit;
Pastor sine grege & sine sede:
Episcopatum admisit ne Episcopus esset,
Recusaturus Genevam, nisi Geneva fuisset.
Benignitas Hominis miraculo non caruit :
Insedit aliquando ejus capiti Columba hospes,
Intra pectus altera columba fuit.
Ne dubites Columbam fuisse,sine felle fuit :
Nemo Salesium vidit iratum,
Nemo ab eo recessit iratus.
Placebat omnibus , etiam dum argueret:
Amabatur ab Hæreticis etiam dum refutaret.
Geneva ipsa sæpè dixit, non carerem Pastore,
Si tales semper habuissem Pastores.
Denique Vir innocentissimus nihil peccasse creditus est,
Nisi in Adamo ,
Et fortè Adamus non peccasset , si fuisset Salesius.
Nec frustra dies Innocentibus sacer primus est illi & ultimus ;
Innocens obiit , nihil vivus peccaverat.

D. FRANCISCI SALESIJ ad ſuam Genevam

CARMEN PARÆNETICVM.

AUdi Paſtoris vocem, dilecta Geneva;
Vera loquar, neſcit purum mendacia cœlum:
Fallere nec ſuperi poſſunt, & fallere nolunt;
Damnaret fraus illa Deum. Decepta Geneva
Errores dediſce tuos: deceptio prima eſt
Ejuraſſe fidem Petri, Romamque Magiſtram,
Et Chriſtum finxiſſe novum, nova Sacramenta,
Templa nova & nuda; & ſacris Altaribus Agnum
Præſentem, vacuis repræſentare figuris;
Et ſterili cœnare fide: Sed inanis imago
Si placet in Cœnam, cur non in imagine Chriſtus
Penè iterùm moriens, iterúmque ex arbore pendens.
Cur arbor non ipſa placet, cur Matris imago
Diſplicet; & cœli Virgo, mundique Patrona
Cur non eſt Patrona tui? cur Cœlituum aula
Non eſt aula tibi? proceréſque & Regis amicos
Cur dubitas poſſe eſſe tuos, ſpeculúmque tuentes,
Monſtrantémque Deum? Cur ſurdos eſſe beatos,
Aut ſurdum vis eſſe Deum.
Grex dilecte mihi, quis te per devia Paſtor
Abduxit, prædámque lupis objecit edendam;
Et lupus ipſe fuit: pellis decepit ovina,
Sed lupus, & falſa tygris ſub pelle latebat;
Et Paſtor decepit oves. Miſeranda Geneva
Doctrinam dediſce novam, Romámque docentem,
Et fidei antiquæ veteres agnoſce Magiſtros.
Enumera Patréſque tuos, Patrúmque Nepotes,
Doctrinæque novæ juvenes miraberis annos.
Quin etiam vivunt intra tua mœnia Cives
Qui vidêre novæ naſci cunabula Sectæ.

Aſpice ſublimes turres, pendentiáque æra;
Monſtrabunt hæc æra Petrum, Romamque ſonabunt.
Deſcende, & ſtratos lapides, & marmora luſtra;
Hîc jacet indutus ſolemni veſte Sacerdos,
Elatúſque Calix, & ſacræ inſignia Miſſæ;
Et quæ tu rides myſteria, marmor adorat.
Sublimes attolle oculos, vitreáſque feneſtras
Aſpice: vivit in hac redivivus imagine Chriſtus;
Gratatur Virgo, ſacriſque dat oſcula plagis,
Et tacitus narrat Matri miracula Chriſtus.
Parte aliâ cœlum ſcandit, ſpectantque, dolentque
Diſcipuli: ſequitur triſtis ſingultus in auras;
Et vitrum ſudat lachrymis, & gaudia ſentit.
Hîc medios inter Laurentius uritur ignes,
Apparent flammæ, & parcunt incendia vitro.
Hîc Stephani carnes lacerant immania ſaxa:
Admittit lapides vitrum, ſaxiſque reſiſtit.
Heu veteris fidei vitrum veſtigia ſervat!
Quod ſolidum eſt non durat, & eſt durabile vitrum.
Grex dilecte redi, veteréſque agnoſce Magiſtros;
Et dediſce novos: Nova te doctrina fefellit;
Et falſum eſt dogma omne novum, divina vetuſtas,
Nil cœleſte novum eſt; Deus ipſe erroneus eſſet,
Si poſſet novus eſſe Deus.

SUBSEQUUNTUR ELOGIA DEI,
& Deiparæ Virginis Mariæ.

ELOGIA



ELOGIA DEI.

I.

Existentia Dei.


ON existeret mundus, nisi existeret Deus:
Nec navis sine gubernatore,
Nec tabella sine pictore,
Nec sine architecto palatium,
Nec sine rege imperium,
Nec sine duce exercitus,
Nec sine Deo esset mundus.
Si elementa, si rupes, si arbores loqui scirent,
Loquentis naturæ vox una hæc esset; Datur Deus.
Nemo de Deo dubitat, etiam impius,
Solus in corde suo Deum negat,
Sed dum sic negat, affirmat,
Cæteris in rebus ignari esse possumus,
Omnes hac in parte Christiani sumus.

II.

Natura Dei.

NE quære genus Dei, nihil habet commune;
Nec differentiam, totus ab aliis differt,
Nec accidentia, totus substantia est:
Vis scire quid sit Deus?
Apex entium, vertex rerum,
Ens à se, actus purus,
Nullus de alieno, totus de suo,
Fons fluminis sui,
Oceanus se ipso plenus,

Nullius

Nullius egens, & quo omnia egent,
Id quo nihil eſt melius,
Hic eſt Deus.

III

Vnitas Dei.

VT ſcias Deum eſſe unum, quære quid Deus ſit,
Non eſſet actus purus, niſi eſſet unus,
Non eſſet id, quo nihil eſt melius, niſi eſſet ſolus;
Si eſſent plures, ſinguli haberent ſua, non omnia:
Deeſſet igitur alteri, quod alter haberet;
At ille non eſt Deus, cui aliquid deeſt;
Et liberi eſſent ſinguli, ſi eſſent Dij,
Poſſet igitur alter nolle, quod alter vellet,
At ille non eſſet Deus, cui reſiſteret Deus:
Nullitas Numinum eſt pluralitas Numinum,
Unicitas Dei, eſt Dei veritas.

IV.

Trinitas Perſonarum.

DIvinius penè eſt Deum trinum eſſe, quàm unum,
Demonſtrat unũ Theologia, non demonſtrat trinũ,
Publica penè eſt unitas Dei, arcana Trinitas;
Latet ſub velo fidei, & credi poteſt, non ſciri.
Quis illud intelligat, naturam divinam unitate diſtribui?
Conflari numerum, nec ab unitate recedi?
Communicari naturam, nec dividi?
Quis capiat tres eſſe perſonas, non ſubſtantias?
Cur inter æquales una ſit prima?
Cur nec pauciores eſſe poſſint, nec plures?
Quis explicet Patrem prioré eſſe Filio, non antiquioré,
Spiritum Sanctum ſpirari, non gigni,
Procedere æqualem Patri, non ſimilem,
Aut ſimilem Filio eſſe, non fratrem.
Superant hæc omnia rationem, non fidem,
Exceditur humana ratio, non fallitur,
Et adiuta alieno lumine ſcit penè quod credit

Debet

Debet intra se Deus exercere societatem, ne sit solus,
Debet loqui posse, ne sit mutus,
Debet igitur unus esse qui dicat,
Debet alter esse qui audiat,
Debet tertius esse qui dicta diligat.
Debet unus esse qui amet,
Debet alter esse qui redamet,
Debet tertius esse, cui vterque amorem communicet:
Sic absolvitur numerosus divini amoris circulus,
Nec locus est quartæ personæ,
Deum exhausere tres primæ.

V.

Pater æternus.

HIc sine avis & proavis; sine patre, nec pater sui,
Ante mundum, & ante nihilum,
Æternitatem vidit, & fecit,
Post æternitatem mundum ex nihilo creavit, cùm voluit,
Ante mundum genuit Verbum ex seipso, non ex nihilo;
Locutus est, nec potuit loqui, nisi alteri,
Alterum illum produxit, cùm dixit,
Dedit illi omnia sua, ut esset æqualis,
Fecit imaginem sui, ut esset similis,
Nihil excepit nisi titulum Patris, quem dare non potuit.
Sic tamen omnia dedit, ut nihil amiserit,
Fecit de suo divitem, nec se pauperem;
Sufficit eadem divinitas duobus, & sufficit tribus:
Solus ex se produxit Verbum, & cum illo Spiritum,
Minùs esse non debuit fœcundus corde, quàm mente,
Prior utroque est, non tamen antiquior,
Prioritas est originis, non ævi, aut temporis,
Æquævæ vitæ sunt, qui semper vixêre.

VI.

Verbum æternum.

HIc fœtus mentis paternæ, & Verbum oris,
Videntis speculum, Echo loquentis,
Alius est à Patre, non aliud.

Eloquens

Eloquens Pater omnia verbo uno dicit, & uni,
Nec alius esse potest, qui dicat,
Nec alius esse, qui audiat,
Nec præter id, quod dixit, est aliud.
Exhaurit magnum Oratorem sermo unicus;
Nihil habet ultra quod dicat, qui dixit omnia;
Non intermittit tamen dicere, qui semel dixit,
Singulis momentis idem dicit, nec repetit,
Semper genitus est Filius, & semper gignitur,
Cessaret Pater esse, si cessaret dicere,
Cessaret Filius esse, si cessaret audire,
Et si esse posset in Deo silentium,
Nec Pater esset, nec Verbum.

VII.

Spiritus Sanctus.

HIc à Patre, & Filio, non ore, sed corde,
Nec linguâ procedit, sed flammâ,
Pater, & Filius duo spirantes, nec duo spiratores.
Uno spiritu, & mutuo impetu
Eliciunt flammam, quam anhelant,
Procedit à duobus Spiritus unus,
Halitus oris, vapor cordis,
Gemini amantis unum osculum,
Gemini spirantis unum suspirium,
Patris, & Filij cor unicum.
Exhaurit spirantes anhelitus unus,
Nec tamen amare cessant, dum semper anhelant,
Cessarent vivere, si cessarent spirare,
Sic Patris fœcunditas exhauritur in Verbo,
Sic Pater, & Filius quiescunt in osculo,
Sic tres personæ implent amabilem circulum,
Sic extendunt triangulum, nec deserunt centrum.

VIII.

Verbum incarnatum.

HIc ex Deo homo, ex homine Deus,
Naturam divinam innatâ purpurâ,

Humanam

Humanam vestivit alienâ,
Illam terminans, hanc sustentans, utramque copulans;
Eundem semel hominem, semel Deum,
Eâdem corona bis regem facit;
Idem infinitus, & finitus,
Idem æternus, & novus,
Idem Deus, & homo est, ut sit IESVS,
Idem homo esse debuit, ut debitor esset,
Idem Deus esse debuit, ut posset solvere;
Idem immortalis, ut Deus,
Homo esse voluit, ut mori posset,
Idem hominis misertus, ut Deus,
Ut Misericors esset, Miser esse voluit,
Idem de homine cogitat gemino intellectu,
Idem homines amat duplici affectu:
Idem bis liberalis, ut tribuat,
Bis misericors, ut parcat,
Bis potens, ut protegat;
Idem geminatas virtutes habet, ut sæpe sit bonus;
Denique vis scire quid sit IESVS?
Plus aliquid dicit IESVS, quàm Deus.

IX.

Infinitas Dei.

NOn esset Deus, nisi esset infinitus,
Posset crescere, si esset finitus,
Posset melior esse, nisi esset optimus;
At Deo nihil potest esse aut maius, aut melius.
Neque uno tãtùm modo infinitus est Deus, sed omnibus,
Infinitè sapiens esse debet, ut sciat omnia,
Infinitè potens, ut faciat,
Nisi esset infinitè sapiens, esset aliquid quod nesciret;
Nisi esset infinitè potens, esset aliquid quod non posset,
Illud aliquid esset nihil,
Nec tamen nihil est aliquid,
Unum est, quòd Deus non potest, errare,
At hoc est infinitum esse, non posse deficere.

X.

Immutabilitas Dei.

IMmutabilis eſt Deus omnia mutans,
Mutare non poſſet omnia, niſi eſſet immotus,
Idem ſemper, non alius,
Nunquam novus, nunquam vetus,
Vidit juvenem mundum, & vidit ſenem,
Nec juvenis ipſe, nec ſenex:
Nec mutare locum poteſt qui ubique eſt,
Nec ſitum, qui figurâ caret,
Nec mutat conſilia, quæ ſunt æterna.
Nihil videt oculus infinitus, quod ſemper non viderit,
Nihil amat, quod ſemper non amaverit,
Nihil odit, quod ſemper non oderit,
Nihil decernit, quod ſemper non decreverit,
Scilicet deſtinavit ab æterno agenda in tempore,
Nova ſunt opera, non decreta,
Mutatur tempus, non æternitas,
Et quod jam facit, penè ante jam fecerat.

XI.

Æternitas Dei.

NE quære auos Dei, Majores non habet,
Si haberet, eſſet junior; & av⁹ Deus eſſet, nō nepos.
Nec quære quando inceperit,
Nunquam incepit, qui ſemper fuit,
Semper fuit, qui aliunde nihil accipit,
Fundamentum entium nihil habet antiquius,
Principium rerum nihil habet prius,
Deus authorem non habet, neque ipſe eſt author ſui.
Deus eſt ens à ſe, nec tamen eſt effectus ſui,
Nec exiſtit Deus, quia durat,
Durat quia exiſtit.
Cæterarum rerum menſura eſt tempus,
Deus eſt menſura temporis, & æternitatis.

XII. *Immenſi*

XII.

Immensitas Dei.

IMplet omnia ſpatia Deus, nec impletur,
Intra omnem locum eſt, & extra omnem locum,
Ante mundum ipſe ſibi mundus erat, & locus,
Ne quære ubi erat, quando nihil erat,
Intra ſeipſum erat.
Non acceſſit ad mundum, quando illum condidit,
Nec recederet, ſi illum deſtrueret;
Intra Deum eſſet Deus, & ubique eſſet;
Neque eſt ubique per portiones ſui,
Partes non habet qui eſt ſpiritus,
Si dividi poſſet, non eſſet Deus:
Totus eſt intra mundum Deus, totus extra illum,
Partes habet locus, non Deus,
Facilè ubique totus eſt, qui eſt infinitus.

XIII.

Sapientia Dei.

SCit omnia Deus, & nihil didicit,
Nihil obliviſcitur, & nihil meminit,
Nihil addiſcit novi, quod ſemper non ſciverit;
Scit præterita, quia illa fecit,
Scit præſentia, & illa aſpicit,
Scit futura, quia illa decernit,
Scit quod nunquam erit, & quod eſſet, ſi decerneret:
Scit ipſum nihil, & dum nihil ſcitur penè eſt aliquid;
Videt res omnes extra ſe, & intra ſe videt,
Spectator eſt rerum, & ſpeculum,
Pictor eſt, & imago innata, non facta:
Vivunt in hac imagine res expertes vitæ,
Meliores in ideis ſuis, quàm in ſe ipſis;
Penè illis nocet Deus, dum extra ſe facit.

XIV.

Omnipotentia Dei.

QUæris quid poſſit omnipotens Deus?
Poteſt id omne quod vult,
Non vult tamen id omne quod poteſt,
Poſt omnia poteſt plura,
Non poteſt id totum facere, quod poteſt facere,
Non poteſt facere nunc, quidquid poteſt facere nunc,
Exhauriret potentiam ſuam, ſi omnia faceret,
At magno Artifici debet ſupereſſe quod poſſit.
Nobilior eſt opere ipſe modus operis,
Nec ſociis eget ad bella, nec auxiliis;
Muſca illi miles, & rana exercitus eſt,
Vocat ea, quæ non ſunt, & dat arma dum vocat,
Audit imperantem nihilum, & obêdit,
Atque hæc obedientia nihili peperit mundum;
Unum eſt, quod non poteſt Deus, peccare,
At hoc eſt potentem eſſe, malum eſſe non poſſe.

XV.

Bonitas Dei.

ADeò bonus eſt Deus, ut nemo præter eum ſit bonus,
Neque eſt bonus tantùm, ſed ipſa bonitas,
Neque hæc eſt una virtus, ſed omnium cumulus,
Totum Deum dicit, qui appellat bonum.
Neque intra Deum hæc bonitas ſiſtit,
Particulas ſui diviſit, cùm mundum condidit,
Major portio bonitatis homo fuit,
Totam ſe effudit, cùm Deum hominem fecit,
Fallor, tota exivit ex Deo, tota in Deo ſtetit;
Satis eſt tribus perſonis eadem bonitas,
Vt ſit ſatis eſt infinita.

XVI.

Charitas Dei.

HÆc adeò fœcunda eſt, ut intra Deum ſpiret Deum.
Amant ſe Pater, & Verbũ, & dũ ſe amant, Deũ ſpirãt;

Halitus

Halitus est Patris, & Filij Spiritus sanctus,
Osculum est duorum receptum à tertio,
Fœcundum osculum, quod imprimit Deum Deo.
Sistere intra Deum hæc Charitas non potuit,
Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unicum dederit,
Sic Pater & Verbum amarunt, ut donarint Spiritum,
Dedisset se ipsum Pater, si fuisset qui donaret,
Dedit tamen se ipsum, dum donavit hæredem suum.

XVII.

Suavitas Dei.

LAudatur suavitas divina, dum gustatur;
Novum elogij genus, gustu laudare, non dictu,
Gustaverat illam regius Propheta, cùm diceret;
Gustate, & videte quàm suavis est Dominus;
Hæc affusa divinis virtutibus illas temperat;
Severior esset justitia, nisi suavitas illam leniret;
Fortior esset omnipotentia, nisi suavitas temperaret.
Nec modus tãtùm virtutũ suavitas est, sed amabilis virtus;
Hæc hominem admittit ad colloquium Dei,
Hæc Deum homini familiarem facit,
Gustant se invicem Personæ divinæ, dum se amant,
Gustant Beati, & potus est illis Deus, ac cibus;
Quale convivium gustare Deum, & habere convivam.

XVIII.

Patientia Dei.

QUalis illa patientia, quæ saturari probris non potest,
Quinquaginta sæculorum injuriis irritatus Deus
Expectat interitum mundi, ut longiùs pati possit,
Quasi injuriæ non essent satis, dolores addidit,
Hum num corpus induit, ut lædi posset, & mori,
Sæpè moriturus, nisi miraculo vitam servasset,
Miracula fecit, ut pati posset, & mori;
Illustrius aliquid addo, & miraculo majus.
Redivivus, & immortalis invenit novũ genus moriendi,
Instituit sacrificium, in quo victima esset,
Et buoties immolatur, toties mysticè moritur.

XIX.

Clementia Dei.

HÆc est ars Dei nobilissima parcere posse, & velle,
Parcere nolunt, aut nesciunt ignobiles animæ,
Nihil divinius facit Deus, quàm dum ignoscit ;
Ac vide clementiæ modum extra omnem modum ;
Parcit armatus dum ulcisci potest,
Parcit ingratis, & sæpè,
Plus aliquid dico, parcit invitis;
Pepercit ab ineunte mundo, & perseverat parcere;
Audi aliquid divinius, prævidit peccaturum mundum, & condidit.
Audi aliquid majus, quievit septima die post mũdũ cõditũ;
Quæris causam quietis; peccaverat homo, invênit cui parceret.

XX.

Misericordia Dei.

HÆc virtus iterum, & sæpè Deum Creatorem facit,
Creavit hominem, dum extraxit ex nihilo naturæ,
Creat dum educit ex nihilo miseriæ,
Creat dum attollit ad statum gratiæ;
Audi quàm valdè placeat Deo hæc nobilis virtus,
Patrem se misericordiæ appellat, non justitiæ,
Scilicet de alieno justus, misericors de suo,
Miseretur volens, punit invitus,
Miserum penè se putat dum miseros videt,
Neminem creavit Deus, ut esset miser,
Nemo esset miser, nisi esse vellet,
Quòd velit tota culpa est miseri, nulla Dei.

XI.

Liberalitas Dei.

HÆc est indoles Dei, magna largiri,
Hoc est Deum esse, benè omnibus facere ;
Egenæ naturæ donare nolunt, aut nesciunt,
Exhauriri timent, si aliquid donent,
Fons exiguus perire se credit, dum fluit,

Oceanus gaudet tot filios habere, quot fluvios,
Liberalis Deus divitem se esse gaudet, ut donet,
Atque oceano similis fluere ex se dona permittit,
Ac vide liberalitatis gradus:
Dat Deus beneficia sua, non vendit,
Dat ut munus, non ut fœnus;
Dat ut tribuat, non ut recipiat;
Quod liberalius est, donat omnibus, etiam indignis;
Quod majus est, donat ingratis;
Quod magnificentius, donat invitis,
Quod divinius, post dona sua, donat se ipsum;
Ire ulterius liberalitas non potest,
Exhauriret donantem Deum, nisi esset infinitus.

XXII.

Iustitia Dei.

AGnoscit justitiam Dei scelus & virtus,
Nemo illam negat, etiam Atheus,
Affirmat illam etiam dum dubitat,
Et fatetur illam, dum illam timet:
Nemo hujus timoris expers est, etiam qui nihil timet,
Sentit illam, etiam dum excludit,
Lædit jus Dei peccator dum offendit,
Iustus est Deus dum scelus punit,
Iustus est dum mercedem rependit, quàm promisit;
Promisit illam misericors Pater,
Reddit illam justus Judex:
Claudicaret justitia, nisi esset gemina,
Debet pœnam sceleri, & coronam virtuti.

XXIII.

Sanctitas Dei.

PRocũbunt Angeli, dum sanctitatem Dei proclamant,
Velant facies suas, & tantum lumen non sustinent,
Complicant alas, & immoti manent,
Inclinatur cœlum ad reverentiã, dum hoc nomen audit.
Tremit orbis universus, & adorat quod metuit.
Scilicet continetur hac voce, Majestas Dei

Totum Deum dicit, qui appellat Sanctum,
Excluditur hoc nomine quidquid non eſt Deus,
Includitur omnis titulus Dei,
Et plus ferè ſonat Sanctus, quàm Deus.

XXIV.

Dominium Dei.

NOn ante fuit Deus, quàm Dominus,
Non incepit aliquando hoc dominium, nec ceſſabit,
Ortum non habet, nec exitum, quod eſt æternum,
Nec acquiſivit hoc dominium Deus, nec accepit.
Inde eſt Deus, unde eſt Dominus,
Ne quære limites regni, neſcit limites Deus,
Subeſt huic regno quidquid eſt aliquid,
Subeſt quidquid eſt nihil,
Subſunt huic dominio reges terrarum,
Aliorum domini ſunt ſubditi Dei.
Repetere coronam poteſt, qui illam dedit,
Et repetit coronam, dum repetit vitam,
Solus Deus nihil amittit, nihil accepit.

XXV.

Providentia Dei.

NVlli hominum generi ignota eſt providentia,
Nullum hominum genus eſt illi ignotum,
Agnoſcit illã arator, dũ projicit ſementẽ, & illi cõmittit,
Excipit illam providentiæ ſinus magis, quàm terræ,
Serit palmites vinitor, providentia nutrit,
Regit oves paſtor, providentia paſtorem;
Invenêre artes primi Artifices, providentia fecit, ut invenirent.
Hęc providẽtia populos Regibus ſubjicit, & Reges ſibi:
Hæc egeſtatem divitiis, divitias temperat egeſtate;
Hæc per inopes divites alit, per divites inopes:
Aſpice hanc rerum univerſitatem, liber eſt providentiæ,
Hujus libri paginæ elementa, res creatæ ſunt literæ;
Legit hunc librum eruditus, legit qui neſcit legere.
[illegible]il fugit hanc providentiam, non ipſa fortuna,
[illegible]ovidentiæ, quos appellamus caſus,

Et decreta Dei sunt libera, quæ vocamus fata,
Supponunt hæc decreta libertatem hominis, ne illam
lædant,
Explorat Deus humanum arbitrium, & penè ponderat,
Priùs videt agenda ab homine, quàm decernat,
Agunt simul homo & Deus,
Nec priùs homo, nec prius Deus.

Decem breviora Elogia Dei Vnius, & Trini.

I.

VNvs est Deus, nec tamen est solus,
Nec Deus esset, nisi esset unus,
Nec beatus esset, si esset solus,
Unitatem requirit divinitas,
Et Trinitatem felicitas.

II.

Mutus esset Deus, nisi loqui posset,
Nec loqui posset, nisi alter audiret;
Debet esse unus, qui dicat,
Debet alter esse, qui audiat,
Debet esse tertius qui dicta repetat.

III.

Minus perfectè se amaret Deus, nisi esset trinus,
Debet esse unus, qui amet,
Debet alter esse qui redamet,
Debet esse tertius, qui amorem excipiat,
Quo uterque se amat.

IV.

Sic intra Deum loquitur unus, & duo audiunt;
Pater omnia dicit,
Verbum omnia audit,
Spiritus omnia repetit,
Nec plures esse possunt, qui dicant,
Nec plures esse, qui audiant.

V.

Sic intra Deum monas gignit monadem,

Sic utraque in se reflexa spirat amorem ?
Æqualis est hic amor amantibus,
Amat intra Deum Deus, & amatur Deus,
Duo se amant, & amatur tertius, & est Deus.

VI.

Sic exhauritùr divina fœcunditas,
Sic Pater exhaurit omnia verba Verbo uno,
Sic Pater & Filius exhauriunt amorem uno osculo,
Sic Spiritus sanctus nihil invenit quod producat:
Intra Deum nihil deest, quod addi possit.

VII.

Necessariæ sunt eæ productiones, non liberæ,
Nec Deus esset, nisi esset Pater,
Nec Pater esset, nisi Filium gigneret,
Nec uterque esset, nisi uterque spiraret,
Nec Spiritus à Filio differret, nisi ab illo procederet.

VIII.

O Æqualitas personarum, & inæqualitas,
Nec antiquior est, qui producit,
Nec junior, qui procedit,
Nec ditior, qui omnia tribuit,
Nec pauperior, qui accipit:
Qui dat omnia, nihil amittit,
Qui accipit omnia, nihil adimit,
Trinitas est personarum,
Et unitas divitum.

IX.

O mysterium rationem excedens, non fidem,
Tres intra Deum divitias habent, nec sunt tres divites;
Tres regnant, nec sunt tamen tres Reges;
Tres intra Deum habitant, nec sunt tres hospites,
Eadem domus est tribus, & idem Dominus.

X.

Audi aliquid majus, quod credere licet, non scire,
Plures sunt notiones personarum, quàm relationes,
Plures relationes, quàm differentiæ;
Tres intra Deum referuntur quatuor respectibus,
Tres dignoscuntur quinque notionibus,

Sic

Sic tamen tres differunt, ut tres ſint unum,
Tria germina Deitatis, & unius ſtirpis,
Tres flores unius radicis,
Tres fluvij ejuſdem fontis,
Tres radij ejuſdem ſolis,
Unicus Deus eſt, & tamen eſt trinus.



HORÆ DVODECIM PASSIONIS CHRISTI.

HORA PRIMA.

Iturus ad Crucem, valedicit Matri.

NVNC denique divellor à te Mater, & penè divellor à me:
Vocor ad mortem, & moriendum eſt Deo pro homine.
Promiſi ab æterno hanc mortem, cum vadem me dedi;
Deeſt homini unde ſolvat, & cautioni ſolvendum eſt:
Hic erit ordo Paſſionis meæ & tuæ.
Inſtituam hodie convivium mei, & ſæpè veſcêris me;
Tradar ab uno ex meis, & amicum appellabo dum tradet.
Accuſabor, flagellabor, damnabitur Deus ab homine:
Denique videbis me morientem, & mori voles.

HORA SECVNDA.

Ingreſſus in hortum Gethſemani.

Ingreditur in hortum Adamus ſecundus, ubi peccaverat primus:
Proſternit ſe humi, ut emendet humilis, quod ſuperbus peccavit.
Tranſeat à me calix, ait infirmitas, ne tranſeat, ait volũtas.
Non quod ego volo, ſed quod tu, nec ſicut ego volo, ſed ſicut tu:
Ter oravit, & poterat vivere, niſi mori maluiſſet.

HORA TERTIA.

Agonia Christi.

Qualis hæc agonia quæ Deum turbavit, ſed turbari volentem!
Offert ſe tota Paſſionis ſeries & abuſus Paſſionis.
Turbatur, & penè horrore moritur antequam moriatur.
Mittit Angelum Pater ut mortem perſuadeat, non ut amoveat.
Poſita erat conditio mortis, hanc ſpiritus vult, caro nollet.
Erumpit ſanguis per omnes venas; exiret vita, niſi Deus retineret.

HORA QVARTA.

Traditio.

Tradit Chriſtum Judas, & appellat Magiſtrum dum tradit.
Tradi ſe patitur Chriſtus, & amicum vocat qui tradit.
Iuda vendidiſti argento Deum, & oſculo tradis!
Quale commercium! venditur Deus, & eſt homo qui vendit.

HORA QVINTA.

Capitur & ligatur.

Interrogat hoſtes, quem quærant, & ſe offert quærentibus.
Verbo uno ſternit omnes, & altero erigit.
Furioſi tamen vinciunt, impellunt, & trahunt.
Parcite vinculis hoſtes, fortior eſt amor funibus;
Agnus eſt, & vult mori, non vinciri, nec trahi.

HORA

HORA SEXTA.

Ducitur ad Annam & Caïpham.

Adductus ad Annam & Caïpham, invenit hostes, non Pontifices.
Apud illum alapâ cæsus causam rogavit, & tacuit.
Apud istum inversus, & cæsus urgetur divinare quis læsit.
Nox erat, cædebatur Christus, & latebat Deus.

HORA SEPTIMA.

Traducitur ad Pilatum.

Traductus ad Pilatum, ut damnaretur, etiam justus;
Fecit reum Judicem, dum declaravit Innocentem.
Inique Iudex, si reus est, cur non adjudicas morti?
Si est innocens, cur non dimittis, quem absolvis.

HORA OCTAVA.

Offertur Herodi Regi.

Oblatus Herodi, ut bis innocens esset, aut bis reus,
Siluit; & miraculi loco silentium fuit.
Indutus veste albâ appellatus est stultus, & erat Deus.
Nec sapiẽs esset, dũ pro homine moritur, nisi esset Deus.

HORA NONA.

Alligatur columnæ.

Interea, alligatus columnæ, flagellis cæditur.
Laceratus plagis, clamatur homo, & vix agnoscitur:
Denique postponitur Barrabbæ homicidæ;
Et dum vult occidi, penè homicida sui, & deicida est.

HORA DECIMA.

Gestat Crucem.

Ibat ad Crucem, oneratus Cruce Deus.
Ferebat victima lignum in quo erat moritura:
Succubuit medio in itinere sub onere arboris.
Heu quale pondus! quo opprimitur ipse Deus.
Vidit cadentem Mater, & à Filio visa est;
Obstupuit, expavit, defecit.
Sustinuit deficientem Filius, dum ipse deficit.
Adhuc ostenditur peregrinis deliquij locus.

HORA VNDECIMA.

Moritur in Cruce.

Denique pendet affixus cruci homo Deus.
Quale spectaculum Deo, Angelis, & hominibus!
Pallet, deficit, loquitur, moritur.
Improba mors, quid quæris amplius? expiravit Deus.

HORA DVODECIMA.

Excipitur à Matre.

Allocutus è Cruce Matrem, vale ultimum dixit.
Aspexit illa morientem, & mori voluit.
Excepit ulnis refixum è cruce Filium;
Et quem genuerat vivum, penè est enixa mortuum.



VITA, ET ELOGIA
Beatæ Virginis.

ELOGIVM PRIMVM.

Ab æterno ordinata ſum.


B æterno ordinari debuit opus æternum;
Ante tempora inchoandum erat, cui tempus non ſufficit,
Cæteris operibus momentum ſatis eſt, & pars opificis,
Totum Deum occupavit hoc opus:
Infiniti laboris opus erat, ſi Deus operando laboraret;
Scilicet deſignanda erat Verbo Mater Verbi.
Deus nihil extra ſe videt æquale ſibi,
Accedit ad æqualitatem Dei Mater Verbi.

II.

Figuræ Mariæ.

PRæluſit tanto operi Deus per minora opificia;
Rudimentum fuêre Mariæ antiquæ fœminæ,
Oſtendendæ plures erant, ut quam vellet Verbum eligeret,
Colligendæ erant intra unam virtutes omnium;
Et Sara, & Rachel, & Iudith, & Eſther
Figuræ fuêre Mariæ, ſed minores,
Unum eſt, quod omnibus defuit, matrem eſſe & virginem;
Debebatur hic honos Matri Dei, non alteri:
Nec naſci ex virgine Deus debuit,
Nec virgo mater eſſe debuit, niſi Dei.

III.

Maria Revelata Patriarchis.

REvelavit Deus hanc matrem antiquis temporibus,
Et pars ſalutis erat credere Matrem Dei,
Colebatur à Patribus Mater Dei futura,
Offerebantur preces Virgini pariturae :
Tradebatur hæc pietas à patre filiis, ab illis nepotibus;
Natæ ſunt Congregationes Virginis antequam ipſa naſceretur,
Singulæ familiæ ſodalitia erant,& domeſtici ſodales,
Diſcite ſodales ſervire Virgini natæ,
Patres veſtri ſervierunt futuræ.

IV.

Parentes Virginis.

PArentes Virginis ſteriles erant, & penè virgines,
Tales eſſe oportuit, vt partus virginis miraculũ eſſet.
Sanctiſſimi parentes citra prolis labem filiam genuere,
Cæteri coniuges priùs infanticidæ, quàm parentes,
Prolem maculant dùm progenerant,
Et mater occidit, dum concipit;
Sola Maria omnis Maculæ expers,
Maternum uterum pulchro honeſtavit ingreſſu,
Et natalem ſinum conſecravit, dum exiit.

V.

Conceptio Immaculata.

NE maculam originis contraheret filia Adami,
Deũ vidit eo mométo,quo alij privãtur jure vidẽdi,
Excluſit peccatum hic clarus Dei intuitus,
Excluſit gratia, quâ eo momento fuit plena,
Nec violavit legem originis,quæ ante legé præviſa fuit,
Exceperat legiſlator eã fœminam, quam matrẽ eligeret,
Et debuit excipi,ne prolem macularet,dum concipi[illegible],
Sic ſola Virgo proles fuit Adami parentis,non peccantis,
Sic ſola Adami filia lutum Adami non oluit.

Eo momento beata, quo omnes ſumus miſeri,
Et tunc filia amicitiæ, cùm nos iræ.

VI.

Maria intra uterum Matris.

NEque eo momento nuda in lucem prodiit,
Venit cum Reginâ omnis ſupellex virtutum;
Et Maria dives uno momento fuit.
Nemo Sanctorum hujus momenti gratiam æquavit,
Et Maria cæteris momentis omnes cælites vicit,
Scilicet augebat gratias, & augmenta gratiarum,
Nec magis numerari augmenta poſſunt, quàm momenta.
Ne quære, qua arte ſaperet, quæ nondum ſentiebat,
Sapiebat infuſa ſapientiâ, non acquiſitâ,
Et impeditis ſenſibus ſolo operabatur intellectu,
Supplente Deo officia ſenſuum, & imagines rerum.

VII.

Nativitas Virginis.

NIhil pulchrius unquam ſol vidit naſcente Virgine,
Nihil extra ſe nobilius aſpexit Deus;
Lætantur longævi parentes, & ignorant quod ſperant,
Quid ſi avos Dei ſe ſcirent, & Deum nepotem!
Quid faceret natura ſi futura ſciret:
Naturæ nativitas eſt hic ortus Mariæ,
Non ſatis dixi, eſt ortus gratiæ.

VIII.

Præſentatio in Templo.

TRiennis Virgo ingreditur Templum, Tẽplo major,
Et major eſt gloria domus ſecundæ, quàm primæ.
Quàm pij parentes, qui ſua Deo vovent, & ſeipſos!
Quid facerent ſi futura præſcirent?
Ingreſſæ ſunt cum Maria omnes virtutes,
Et ingredi non debuit Regina ſine aula.
Ne quære qualem vitam in Templo egerit,
Qualem decebat Matrem Dei futuram;
Et conceptura Deum corpore, jam concipiebat mente,

Legebat

Legebat in Prophetis Matrem Dei futuram, & se ipsam,
Mirabatur alienum privilegium, & nesciebat suum.

IX.

Matrimonium Virginis.

VT partus Virginis mysterium esset
Desponsatur homini sponsa Dei,
Hic est Josephus Mariæ maritus,
Inæqualis, si pater esse deberet,
Non inæqualis Verbi minister,
Nec inæqualem facit fortuna fabri,
Spes Davidis ad Fabrum & Virginem redactæ erant,
Nec tamen decreverant.
At ô novum matrimonij genus!
Junxêre hæc vincula non carnes, sed mentes,
Sic palmæ nubunt non radice, sed vertice.

X.

Annuntiatio.

MIttitur Angelus ad Virginẽ Angelis parẽ & majorẽ;
Salutat gratiâ plenam, & implendam Deo,
Petit assensum, ut priùs concipiat mente, quàm carne.
Recusanti titulum Matris sine titulo Virginis,
Declarat concepturam non de alieno, sed de suo,
Obumbraturum Spiritum ut sponsum, non maritum;
Tum verò ancillam se vocat Mater Dei futura:
Fiat, inquit, mihi secundùm verbum tuum.
Dixit, & verbo conceptum est Verbum:
Olim hæc vox fecerat mundũ, nunc facit hominẽ Deum.

X I.

Visitatio.

NEc mora, pergit per aspera montiũ Virgo Deo plena,
Impellente Deo, & matrem portante, dum portat,
Ingressa domũ cognatæ induxit secũ consanguineũ Deũ,
Salutant se invicem parvuli nondum nati,
Exultant captivi & liberi;
Et Joannes intra uterũ penè exercet officiũ Præcursoris;
Prophetant

Prophetant matres ſpiritu parvulorum,
Et Zacharias Propheta legis ultimus, & gratiæ primus,
Quem alij venturum prædixerant, annuntiat præſentem.

XII.

Ioannes Baptiſta.

NEmo hoc præcone taciturnior, nemo vocalior fuit
Vix conceptus loquelam abſtulit patri, & reddidit,
Nondum homo hoſpitē Deū excepit humanis nutibus,
Totis triginta annis tacuit, vt diſceret loqui:
Poſt tantum ſilentium nihil niſi vox, & clamor fuit,
Nec linguâ tantum, ſed omnibus membris præco,
Digito Agnū Dei oſtendit, totū deinde dextera tetigit,
Trunco etiam capite vocalis Herodem terruit,
Denique occiſus ad Limbos martyr, & præcurſor ivit,
Vir omninò magnus, & ſolo Deo minor
Debet primam vitam Elizabethæ, & ſecundam Mariæ.

XIII.

Nativitas Verbi.

INterea deſcribebat orbē Auguſtus, vt vectigalē faceret,
Et numerabat homines Deus, vt omnes redimeret,
At heu quale diſcrimen Dei, & hominis!
Patent Vrbes omnes Auguſto, & clauduntur Deo,
Caret loco, per quem factus eſt omnis locus,
Naſcitur inter dedecora antri Dominus cœli:
Clamate immortales Angeli ſilente natura;
Et Verbum caro factum eſt quale miraculum!
Verbum Patris ſilet, quale myſterium!
Verbum matrem Virginem facit, quale prodigium!
Erant Ioſeph, & Maria mirantes,
Puto, niſi miracula faceret, ipſe miraretnr Deus.

XIV.

Paſtores.

NVnciatur paſtoribus nativitas, & tacetur Regibus,
Scilicet agebant vigilias, & amat vigiles Deus,
Accurrunt, ingrediuntur, mirantur,

Agnoſcunt agnum ab origine mundi occiſum,
Docentur iterùm pro mundi ſalute occidendum,
Quid dixerint, puto neque ipſi narrare ſcirent,
Silentium, & admiratio, vocis inſtar fuit,
Donarunt tamen agnum agno & Matri ovem,
Placuit ſimplicitas puero, & ſe deinceps appellavit paſtorem.

X V.

Reges.

QVàm difficilè latet Deus, qui vbique eſt,
Apparet in antro, ſub fœno, & ſub nihilo,
Agnoſcunt tres Reges intra ſpeluncam, Aulam,
Inter fœnum & paleas, thronnm, & in throno Deum,
Advolvuntur ad pedes infantis, & ſe fatentur minores,
Poſt adoratum Infantem, penè adoraſſent Virginem,
Niſi fides docuiſſet Matrem Dei eſſe, non Deam,
Denique per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam,
Venerant Reges ethnici & revertuntur Chriſtiani,
Primam viam oſtendit ſtella, & fides ſecundam.

XVI.

Circumciſio.

AVidus redimendi homines homo Deus,
Offert patrẽ ſanguinis,& quęrit à Patre an ſit ſatis,
Negat Pater ſufficere hoc pretium, quamvis infinitum,
Admiſſum eſſe vadimonium eâ lege vt cautio moreretur,
Placere tamen primitias ſanguinis, quaſi arrham pretij,
Abſolvendum negotium,cùm totum pretium ſolveretur,
O dura belli, & pacis rudimenta!
O nomen IESV pretioſum,quod tanto ſanguine emitur!
O quanti venditur mea ſalus!
Elicuêre ſanguinem Ioſephus & Mater,
Et lachrymas miſcuêre.

XVII.

Purificatio.

ABſtinet publico Virgo, quaſi Mater impura,

Et nihil erat Mariâ purius, nisi solus Deus,
Post quadragenos dies sistũt infantẽ Deo, & erat Deus,
Redimit Mater filium, & Pater vendit,
Alieno pretio non egebat, qui emebatur suo,
Columba filius erat, & Mater turtur,
Amplectitur Simeon salutare Dei, & salvum se clamat;
Adorat Infantem Anna, & penè parturit,
Interea fit supplicatio, & erat supplex Deus,
Nullus hanc supplicationem æquavit triumphus,
Pars supplicationis erat Christus, & spectator Deus.

XVIII.

Fuga in Ægyptum.

AT quale illud mysteriũ monetur à Deo fugere Deus,
Et cogitur exul esse, cui patria est omnis locus,
Docere nos voluit exiliũ esse, quidquid non est cœlum,
Et nos huius mundi hospites esse, non cives,
Nec tamen Ægyptus ignota Iosepho est,
Exul illic alter Iosephus, & penè Rex fuit,
Exularunt cum eo Iosephus alter, & IESVS,
Et nondum homo vterque, iam exul fuit.

XIX.

Duodennis in Templo.

DVodennis auditor in templo, & doctor;
Ea dixit de Deo, quæ Deum sapiebant, non puerum,
Et poterat ex doctrina agnosci esse Deus,
Nisi magistros malè puduisset esse discipulos;
Admirans mater absentiam filij, interrogat Causam,
Obmutuit, cùm filius de Patre æterno respondit,
Nec mora, rediit ad fabriles operas doctor legis,
Ne quære quid totis triginta annis egerit,
Latuit & erat subditus illis,
Difficilis lectio tot annis doceri debuit.

XX.

Christus Faber.

EXercent artem lignariam Iosephus, & IESVS,

Ponit tyrocinium Deus ſub homine,
Diſcit aliquid qui nihil ignorat,
Docetur fingere rotas, qui finxit ſtellas;
Aſpicit laborantes Mater, & ſegmenta colligit,
At heu dedolant arbores olim cruces futuras!
Et mortis ac vitæ hæc officina eſt,
Ioſephe non attingeres arborem,
Si ſcires mortem latêre in arbore,
Nec tu Mater fragmenta colligeres,
Scit Chriſtus, & mortis olim futuræ iam faber eſt.

XXI.

Vita Chriſti privata.

AT qualis hæc vita divina & ignota?
Scilicet Amat latêre Deus, & intra ſe eſſe,
Ante orbem conditum Deus intra ſe vixit,
Et ſibi ipſe mundus, & domus, & ſocius fuit,
Id circo tres intra Deum perſonæ ſunt ne ſolus ſit Deus,
Imitatus ſe ipſum vt Deum, homo Deus,
Totis triginta annis apud matrem latuit,
Nec tamen ſolus fuiſſe dicendus eſt, dum cum matre fuit,
Nec ſolus eſſe poteſt, qui Deus & homo eſt,
Scilicet ſocius erat homo Deo, & homini Deus.

XXII.

Valedicit Matri iturus ad vitam publicam.

HIs ferè verbis valedixit Matri Verbum Patris;
Vocor ad vitam publicam, nec deſero tamẽ privatã,
Miſcebo vtramque, & publicus ero, & occultus:
Dedi annos triginta vitæ occultæ, tres dabo publicæ,
Inviſam te identidem, & tu identidem ſequêris me,
Pars eris laboris mei, & ego tui,
Colligam diſcipulos, eorum tu quoque mater eris,
Fiat inquit Virgo, amavit & flevit.

XXIII.

Nuptiæ Canenses.

NOndũ aderat miraculorũ hora, nisi Maria adfuisset,
Evocavit miracula, quæ evocaverat Deum,
Deerat vinum convivis, & Deus ipse conviva erat,
Deesse aliquid non debet, vbi adest Deipara,
Proponit filio defectum, nec repulsam passa desperat,
Monet famulos exequi mandata filij, etiam subirati,
Nec mora pulchro miraculo aquæ vertuntur in vina,
Mirantur famuli hauriri vinum ex aqua,
Et clamant puteum mutatum esse in dolium,
Scilic. ignorãt matrẽ esse quæ rogat, & Deũ qui imperat;
Qui nũc aquas vertit in vinũ, mutabit vinũ in seipsum,
Bibitur interea opiparè, & bibuntur miracula,
Nec mirum, si vinum est optimum, quod est miraculum.

XXIV.

Miracula vitæ publicæ.

MIraculo opus esset, vt numerari possent miracula,
Dum loquitur, aures surdis, dũ aspicit, oculos cæcis,
Dum tangit, pedes claudis restituit,
Paralysis, hydrops, lepra,
Morbi erant dum permitteret, sanitas cum iuberet,
Mors ipsa mirata est reddi sibi vitam, vel invitæ,
Miratus Dæmon ipse tot miracula
Credidit Deum esse, qui faceret, & Deo non credidit,

XXV.

Doctrina Christi.

AT qualis illa doctrina, quã appellat suã & nõ suam,
Mea doctrina, aiebat non est mea,
Si tua est, ô Christe, quomodo non tua,
Et si non tua, quomodo tua?
Quid est tam tuum, quam tu?
Et quid tam non tuum, quàm tu? si es alicuius quod es,
Tua non erat vt hominis, tua erat vt Dei,
Verba erant Verbi, & Verbum est Patris,

Sic tua doctrina erat & non tua,
Doctrina erat pronunciantis hominis, & Dei loquentis,
Humana vox erat, & verba divina.

XXVI.

Valedicit Matri iturus ad Crucem.

NVnc deniq; divellor à te mater, & penè divellor à me
Vocor ad mortē, & moriendū est Deo pro homine,
Promisi ab æterno hanc mortem, cum vadem me dedi;
Deest homini unde solvat, & cautioni solvendum est:
Hic erit ordo Passionis meæ & tuæ.
Instituam hodie convivium mei, & tu sæpè vescêris me;
Tradar ab uno ex meis, & amicum appellabo dum tradet.
Accusabor, flagellabor, damnabitur Deus ab homine:
Denique videbis me morientem, & mori voles.

XXVII.

Conspectus lugubris.

IBat oneratus Cruce ad Crucem Deus,
Ferebat Victima lignum, in quo erat moritura,
Succubuit medio in itinere sub onere arboris,
Heu quale pondus, quo opprimitur ipse Deus!
Vidit cadentem filium mater, & à filio visa est,
Obstupuit, expavit, defecit,
Sustinuit deficientem filius, dum ipse deficit,
Hodieque ostenditur peregrinis deliquij locus.

XXVIII.

Maria iuxta Crucem.

STabat iuxta Crucem Maria altior Cruce,
Filius patibulum matri, mater filio patibulum erat;
Crux erat opposita Cruci,
Duplex & vna arbor, gemina, & vna Victima:
Ne quære quid passa sit filio patiente,
Graviora perpessa est quàm omnes Martyres,
Sæpiùs moritura, nisi filius miracula fecisset vt Mater viveret,
qui contra se miracula fecit, vt mori posset,
Denique aspexit morientem, & mori voluit,

Excepit vlnis refixum è cruce filium,
Et quæ vivum genuerat, penè enixa est mortuum.

XXIX.

Maria in triduo mortis.

MAria hoc triduo penè exanimis fuit,
Scilicet secutus erat animum filij animus matris,
Vterque ad Limbos ivit, vterque ad corpus rediit,
Nec dubito, quin accelerarit reditum filij,
Quæ acceleraverat adventum Verbi.

XXX.

Resurrectio filij, & apparitio Matri.

REvixit post triduum filius, & cum filio mater,
Huic primæ apparuit, quæ prima meruerat,
Et dum ostendit gloriam suam, penè effecit gloriosam,
Quid dixerint redivivi, meditari licet, non effari,
Non est famuli explicare lætitias Dominorum,
Tanta gaudia nec mater toleraret sine miraculo,
Nec filius ferret, nisi Deus esset,
Verbo vno dico, revixit dum redivivum filium vidit,
Adoravit, amavit, & penè iterùm mater fuit.

XXXI.

Ascensurus in Cœlum valedicit Matri.

REdeo ad cœlum, Mater, vnde ad te veni, [Patrem,
Evocabo te brevi, vt illic matrem habeam, vbi habeo
Interea tu Ecclesiæ meæ Mater esto,
Volo Petrum Vicarium meum esse, & penè tuum,
Nec desero Ecclesiam, cui Spiritum sanctum substituo,
Mittam illum brevi, ille procedit de meo,
Paracletus erit cæteris, & sponsus tibi,
Fiat, inquit Virgo, & quæ è cœlo evocaverat Verbum,
Verbum emisit ad cœlum.

XXXII.

Pentecostes.

ITerum descẽdit in cor Virginis Spiritus, qui olim des-
Replevit totã domũ, & penè mutavit in cœlũ, [cẽderat

Cæteri particulas ignis, Maria totam flammam excepit,
Ibi inhabitavit Spiritus, vbi Verbum habitârat,
Et potuit esse filius, nisi sponsus esse maluisset,
Amavit tamẽ Virginem vt hospitẽ, & penè vt Matrem.

XXXIII.

Sequitur Ioannem in Asiam.

ADmiserat Virgo Ioannem in filiũ, & ille in Matrẽ,
Substituerat eũ sibi Christus, & Virgo amabatur à Virgine,
Secuta est euntem in Asiam, vt Asiam consecraret,
Et dum Ioannes Ecclesias regeret, Ioannem rexit,
Nec tulit præsentiam Mariæ Diana Ephesina,
Evanuit ad omnipotentiam Deiparæ Dea fabulosa,
Vt scias Ephesum Deiparæ placuisse,
Apud illã defensa est virginitas matris, & maternitas Dei.

XXXIV.

Moritur vi Amoris.

AVida erat cœli Maria, & Mariæ cœlum avidũ erat,
Rediit Ierusalem illic moritura, vbi filium viderat morientem,
Evocati ex variis orbis plagis discipuli, vel adducti,
Eâ celeritate venerunt, quâ eunt Angeli,
Vident deficientem matrem, & penè ipsi deficiunt.
Excessus amoris erat, non febris,
Nec mori nisi amore debuit, quæ amore vivebat.
Improbe amor quid petis ampliùs?
Occidisti filium, & matri non parcis.

XXXV.

Incorrupta in tumulo.

SEntire pœnam originalis non debuit, quæ non admiserat culpam.
Nec filius pati corruptionem potuit, nec mater debuit,
Opprobrium esset vnius, probrum alterius,
Quid vermibus cum ea carne, quam consecravit Deus!
Penè mutata est in spiritum, dum corporavit Verbum,
Mortem tamen subiit, sed vt alienam pœnam, non suam,
Denique vi amoris obiit, non febris, aut mortis,

At ignis illustrat, quod vrit, dum absumit.

XXXVI.

Assumptio Virginis.

AT qualis ille currus, cuius aurigæ sunt immortales spiritus!
Qualis illa, quæ ascendit, & cui Deus fit obvius!
Hæc est Regina naturæ & penè gratiæ,
Tali pompa excipienda erat, quæ Deum exceperat,
Assurge anime, dic aliquid sublimius,
Ante adventum Mariæ regnabant in cœlo tres personæ;
Nec regnabant tres reges,
Alterum thronum addidit homo Deus,
Adventante Mariâ tertius thronus est additus,
Et nunc triplex in cœlo regnum est, vbi erat vnicum;
Sedet proxima Deo Mater Dei,
Agnoscunt se subditos huic throno throni Angelici,
Et Mariâ inferius est quidquid non est Deus.

XXXVII.

Gratia, Gloria, & Cultus Virginis.

QVanta sit Mariæ gloria solus ille novit, qui contulit,
Sciebat Virgo artem fœnerandi cum Deo,
Et pulchro fœnore augebat merita meritis, & gratias gratiis,
Quæ primo vitæ momento plus habuit, quàm singuli cælites,
Credi potest extremo articulo plus habuisse, quã omnes,
Nec dubium est, quin plus habeat gloriæ, quæ plus habet gratiæ,
Atque hæc est mensura hyperduliæ, excessus gloriæ.

XXXVIII.

Potestas Virginis.

QVæris quid possit in cœlo? est omnipotens;
Præfecit illam Deus thesauris, & beneficiis suis;
Qui seipsum dedit per Mariam,
Omnia vult nos habere per Mariam:
Nec liberalior eligi poterat dispensatrix, nec efficacior,

Cæteri cœlites rogãdo impetrãt; Maria penè imperãdo,
Subditus olim illi Deus nunc etiam parêret ſi illa præciperet,
Nec tamen imperio opus eſt erga volentem,
id quoque Deus matri ſubdidit,
Ne aliud à matre velit.

XXXIX.

Patrocinium Virginis.

ELige qualem velis Mariam, vult à te eligi,
Advocata eſt ſi times, mediatrix ſi non audes,
Azylum eſt miſeris, Altare reis ærarium egenis,
Orantibus donat, ingratis ingerit, invitis obtrudit,
Neminem relictura miſerum, niſi eſſe velit,
Imo neque omnes patitur eſſe miſeros, qui eſſe volunt,
Nemo queri de illa poteſt, etiamimpius,
Patet omnibus, etiam dum non patet Deus.
Poſt amiſſum Deum adhuc ſupereſt Mater Dei,
Et poſt naufragium adhuc ſe offert tabula navis,
Abiecisti illam, periisti,
Apprehendiſti illam, evaſiſti.

XL.

Elogium Deiparæ Virginis.

PRoxima eſt Deo Mater Dei,
Accedit ad fines divinitatis, & penè tangit,
Nihil inter Deum, & Mariam interiacet,
Solus ſupra Mariam Deus eſt,
Et minus Maria eſt quidquid non eſt Deus.
Scilicet talem eſſe oportuit Matrem Dei,
Similis Deo eſſe debuit, quæ fecit Deum ſimilem ſibi,
Nec ſimilis tantum eſt, ſed penè æqualis, ait Bernardus,
Penè æqualem fecit Deus, vt faceret Matrem.
Affinis Deo eſt, & conſanguinea, ait Nyſſenus,
Sanguis Virginis eſt ſanguis filij,
Idem eſt ipſe, quod illa, ait Auguſtinus,
Idem illa, quod ipſe, ait Albertus.
O fœminam infinitæ dignitatis!

Ne quære qualis, & quanta sit,
Qualem, & quantam Deus facere potuit,
Maiorem mundum facere potest, maius cœlum,
Ne maiorem matrem facere posset, fecit infinitam.
Audi aliquid sublimius.
Hæc propositio vera est, ait Bernardinus,
Imperio Virginis omnia famulantur, ipse etiam Deus;
Scilicet subditus olim matri filius,
Nunc etiam parêret si illa præciperet,
Et penè observat Matris nutus, ne illa præcipiat.
Placet vlteriùs in laudes ire:
Exhauserant Deitatem tres divinæ persona,
Exhauserat Pater quidquid dici potest, dum Filium dicit,
Exhauserant amorem Pater, & Filius dum se amant,
Sterilis mansit spiratus amor post exhaustum Deum,
Cùm nihil intra Deum addi posset à Deo,
Electa est Maria, in qua tres personæ explorarent,
Quid foris extra se possent.
Sic complementũ Trinitatis Virgo est, ait Hesychius,
Per illam Pater iterùm Pater,
Per illam Filius iterùm Filius,
Et dum illam implet donis suis Spiritus sanctus,
Intra Deum sterilis, penè in illa fœcundus fuit.
Quæ talis est erga Deum, audi qualis sit erga te;
Advocata est, si velis, mater etiam si renuis,
Ærarium est egenis, azylum miseris,
Altare peccatis, portus naufragis,
Patet omnibus, etiam dum non patet Deus,
Et post amissum Deum, adhuc superest Mater Dei.

SOLITARII ANIMI Soliloquium.

HIc solus mecum vivo, mundoque carêre
Incipio, & rebus præsens assuesco futuris,
Ne rudis æternam aggrediar post tempora vitam,
Et cœlo novus hospes eam. Quàm vivere secum,
Quam dulce est socium esse sui! mundòque silere,

Et ſoli narrare ſibi : tria tempora mecum
Enumero , lapſoſque annos , annóſque futuros ,
Et ſi quid medium eſſe poteſt , quid inanius annis
Præteritis ? periêre ſibi , nihilóque creati
Ad patrium rediêre nihil : præſentia fallunt
Momenta , & dum ſtare puto , pars altera fluxit ,
Pars fluit , & firmum nihil eſt , niſi mobile punctum ;
Hoc quoque dum præſens cerno , iam ex parte perivit,
Et partes iam punctus habet , nec firmior ætas
Craſtina, dum nondum eſt, nihil eſt , dum venerit hora,
Hora fluet , fietque nihil dum fluxerit hora ,
Iacturæ cauſa ipſa ſuæ ; nec tempora ſola
Intereunt moritur communi funere mundus ,
Et mortis tempus cauſa eſt , rapit omnia ſecum ,
Dum rapitur , periit qui quondam vixerat orbis ,
Nunc alius vivit , ſuccedent orbibus orbes ,
Fatáque ſuccedent fatis , edet omnia tempus ,
Et tandem ſe tempus edet.
Ergo age fallamus morientis funera mundi ,
Hîc ego pendentes annos , & tempora fallo ,
Æternos prægusto dies , momentaque nunquam
Lapſura , & quondam æternus poſt fata futurus
Incipio æternus fieri , mediuſque ſuperſum
Intra horas , extraque annos , hîc incola mundi ,
Et mundum ſupra vivo , & ſublimia luſtrans
Huc eo cæleſtis , quò nos invitat origo ,
Et patrias inquiro domos , hic corpore ſenſim
Excedo , & morti vivus prælud o futuræ,
Et ſine morte mori incipio ; ſic fata ſororum,
Hoſtileſque manus , & fila nocentia fallo ,
Et fati parca ipſe mei noua ſtamina volvo.
Hîc aſſueſco Deo, vocemque audire loquentis,
Et tolerare Deum diſco ; ſecedite curæ,
Hîc alternas licet audire , & reddere voces,
Atque hominem miſcere Deo , ô commercia cœli
Humano maiora animo ! quis mutua verba,
Quis teneros ſenſus , puroſque enarret amores?
Lingua ſile , debent divina arcana taceri,
Arcanus vult eſſe Deus.

FINIS

